



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

Liber CXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

ori for-
e sunt
ta, ac
e con-
jusque
initate
& de
anno
la con-
prodi-
de re-
e deci-
ne &c.
Collegii
octoris
inter
in Ma-
e com-
& de
ntem



HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ LIBER CXIV.

SIXTUS IV. PONTIFEX MAXIMUS.
FRIDERICUS III. OCCIDENT.
IMPERATOR.

§. I.

*Victoriæ Classis Venetæ adversus
Turcas.*

Veneti auxiliis tam a Pontifice, quam ab aliis quibusdam Italiæ Principibus sibi submissis aucti, cæptum belli ardorem adversus Turcas strenue prosequuntur. Sub idem tempus Caramaniæ Princeps, cum Rege Persarum

Sæcul. XV.
A.C. 1473.

Hist. Eccles. Tom. XXIX.

F f fœ-

STO.

Sæcul. XV. foedus iniit; cum vero a Mahomete ma-
A.C. 1473. gna Principatus sui parte spoliatus esset,
 a Mocenigo Venetæ classis præfecto sup-
 petias obtinuit. In ejus opem præter
 Venetos etiam accurrebat summus Pon-
 tifex cum classe decem triremium, to-
 tidemque navigia, quæ tum in promptu
 habebat, submisit Ferdinandus Neapolis
 Rex. Horum auxilio adjutus Princeps,
 tres potissimas ditionis suæ urbes recu-
 peravit. Expleta hac expeditione Mo-
 cenigus, ne otiose subsisteret, totam
 Lyciam grassationibus, ac deprædationi-
 bus infestat, dum interea Usumcassanus
 Persarum Rex ex alterius regionis parte
 in Turcas bellum moveret.

§. II.

*Rex Persarum in primo victor, in
 altero prælio cæsus.*

*Phranz. l. 3.
 c. 30.
 Leunclav.
 l. 15.*

Usumcassanus primo prælio Mahome-
 tis exercitum ingenti clade prostra-
 vit, ipsumque Beglerbegum, id est, sum-
 mum Turcicæ Provinciæ in Europa
 Præfectum cum multis aliis Principibus
 ac ducibus trucidavit. Verum altero
 prælio cum Turcis inito armis suis infe-
 stam experiebatur fortunam; cum enim
 nondum belli tormenta a Venetis acce-
 pissent, impune a Mahomete tanta flam-
 mæ ac globorum tempestate impete-
 tur,

tur, ut tandem profligatus pedem re-
 ferre cogeretur. Hæc tamen victoria
 Mahometi plusquam quadraginta millium
 Turcarum impendio stetit: Usumcassa-
 nus vero in hac pugna filium suum plum-
 bea glande trajectum amisit. Is erat a-
 dolescens animi fortitudine nemini se-
 cundus, qui in primo certamine mira
 virtutis suæ specimina tanto successu e-
 didit, ut illius invicto pugnandi ardori
 potissima victoriæ pars deberetur. Ce-
 terum Persarum rex accepta clade in
 Armeniæ montes unacum filio suo su-
 perstite profugit; Mahometes vero, to-
 ta ditone ferro flammaque devastata
 Constantinopolin reversus est, secum in
 captivitatem abstracta ingenti Christiano-
 rum multitudine, quorum quingentos
 in singulis locis, ubi stativa agebat, inau-
 dita crudelitate per medium corpus dis-
 secari iussit, totamque regionem horri-
 bili terrore implevit.

§. III.

*Audax facinus adolescentis Siculi ad-
 versus Mahometis classem.*

Referunt Historici, sub idem tempus
 quemdam juvenem, nomine Anto-
 nium, natione Siculum ad Mocenigum
 Venetæ classis Præfectum, qui tunc hi-
 berna Nampliæ in Peloponeso agebat,

Coriolan. l. 2.

Sabelic.

3. dec. 9

Justiniani

lib. 9.

F f 2

acces-

Sæcul. XV. A.C. 1473. accessisse, atque narrasse, se Chalcede a Turcis captum fuisse, ac inde Caliopolim abductum sub hostium signis militiam egisse, perspexisseque, classem Mahometis ibi absque custodiis fluctuare, & haud procul ingens exurgere armamentarium, in quo omnis generis apparatus ad centum & amplius triremes instruendas asservaretur; paratum igitur se esse, tam classem, quam armamentarium incendere; Ad hæc Mocenigus, dilaudato juvenis consilio, rei exequendæ necessaria suppeditat. Adolescens quantocius assumpta scapha pomis referta, fructuarium mercatorem ementitur, ac superatis Dardanellis arcibus Caliopolim contendit, ibidemque sua poma vœnum exponit. Sequenti nocte armamentario ignem dextere injicit, illudque totum comburit. Ast cum navibus quoque faces admove-re tentaret, eventus consilium fefellit; accurrens enim turba, fragore ignis accita incendium restrinxit; Adolescens cum res ex voto non successisset, verebatur, ne comprehenderetur: unde fuga sibi consulere, ac Hellespontum trajicere meditatur; cum vero ejus navicula mari demergeretur, propositum exequi non poterat, quare in proxima Sylva se abscondere compulsus est: Attamen cum ex pomis passim in unda fluitantibus suscitati incendii auctor esse crederetur, diligenter

ligenter inquisitus comprehenditur, at- Sæcul. XV.
 que ad Mahometem defertur, qui juve- A.C. 1473.
 nem medium difsecari jussit, quod ipse sup-
 plicium mira constantia perpeffus est.
 Senatus Venetus ob tam egregium faci-
 nus hujus Juvenis Patri censum annuum,
 ejus autem Sorori dotem ex publico
 ærario constituit.

§. IV.

*Tractatus pacis Matthiæ Hungariæ
 Regis cum Mahomete.*

Interim Venetis Turcas bello prementibus nuntiatum est Sixto Pontifici, quod Matthias Hungariæ Rex a Mahomete vehementer sollicitatus fuisset, ut cum eo pacem iniret, totisque viribus sua arma contra Persarum Regem verteret, quin imo quod Matthias suos jamjam Oratores, qui de fœderis legibus paciscerentur, Constantinopolim decrevissent, ac inter cetera a Mahomete postulasset, ut ei Bosniam & Serviam, aut saltem harum Provinciarum alterutram restitueret; vicissim vero Rex Sultano auxilia adversus Usumcassanum Persarum Regem obtulisse dicebatur, dummodo is ad hoc bellum necessariis pecuniarum subsidiis præsto eidem esset. Papa accepto hoc nuntio nulla mora ad Matthiam literas dedit, ut illum a tam exitioso dehortaretur

Sæcul. XV.

A.C. 1473.

*Papiens.**epist. 516. & 517.*

tur proposito, simulque Ludovicum (*) Episcopum Ferrariensem, qui in Hungaria Sedis Apostolicæ Legatum agebat, admonuit, ut solerter inquireret, an fœderis hujus rumor verus esset, vel potius commentum foret ad extorquendas a Pontifice pecunias ab Hungaris excogitatum: id etiam vero longe similis est; cum ejusmodi pacem sancitam fuisse, nullius Historici testimonium comprobet, nisi forte dicatur, Mahometem post devictum Regem Persarum parum de Matthia Hungariæ Rege sollicitum fuisse.

§. V.

Jacobus Regni Cypri usurpator mortuus.

Coriolan. l. 2. & 3.

Hoc anno Jacobus Regni Cypri usurpator extremum diem clausit. Fuit is Frater spurius Carlottæ seu Carolinæ, quæ legitima Cypri Regina Ludovico Sabaudia Duci desponsata erat; Ambos tamen Jacobus regnandi cupiditate accensus, & Sultani Ægypti auxiliis adjutus, Regno expellere studuit, ejecitque. Carlotta fugere compulsâ dudum apud Rhodios recuperandi regni sui spem incassum

(*) Legendum est cum Pagio Laurentium, ut constat ex variis diplomatibus ad hunc missis.

sum alebat, tandem vero Romam venit, Sæcul. XV.
 summi Pontificis opem imploratura; Ast A. C. 1473.
 omnia ejus consilia sinistrum votis suis
 exitum fortiebantur. Defuncto tamen
 hoste suo in novam spem erecta videba-
 tur; Verum Jacobus talia adversus eam
 cudebat consilia, ut post sua etiam fata
 ei aditum ad Cypri solium intercluderet,
 eoquod testamenti tabulis Regni hære-
 des dixisset Catharinam conjugem suam
 Marci Cornari Senatoris Veneti filiam,
 eo tempore gravidam, & prolem inde
 nascituram; ambos Jacobus adhuc vivus
 Senatui Veneto, & Mocenigo Præfecto
 impense commendabat, eodemque testa-
 mento constituit, ut si proles, quam Ca-
 tharina in lucem editura esset, fatis fun-
 geretur, regnum haberet Joannes filius
 ejus spurius, eoque absque liberis dece-
 dente alius filius nothus ejusdem nomi-
 nis, ac huic demum Carolina filia pari-
 ter spuria succederet, postremo tandem
 omnibus his sine posteris e vita migran-
 tibus Insula Cypri transfret ad proximum
 familiæ Lusinianæ hæredem. Senatus
 Catharinam adoptionis lege in Filiam
 suscipiens, omnes hosce testamenti arti-
 culos ratos habuit, & Mocenigus Belli-
 dux Regni curam in se suscepit. Ad
 hunc Carlotta legitima Regina confugit,
 expositisque suis in Regnum juribus
 sibi illud restitui enixe efflagitat, sed sur-
 das

Sæcul. XV. das pulsat aures, Mocenigo eidem in-
A.C. 1473. sponſis dante, Cypri regnum jure belli
 Catharinæ Jacobi viduæ & proli, quam
 eniteretur, vindicatum fuiſſe, proin a
 Venetis alium hæredem præter eos a-
 gnoſci non poſſe. Quare Carlotta omni
 ſpe dejecta, juri ſuo inſiſtere deſtitit.
 Ceterum paulo poſt Catharina filium
 peperit, qui nomen Patris ſui adeptus,
 altero ætatis ſuæ menſe coronatus eſt.

§. VI.

*Archiepiſcopi Cyprii conſilia de occu-
 pando Regno.*

Verum adverſus Catharinam hoſtis
 longe magis potens, quam Carolina
 erat, inſurgebat; Archiepiſcopus enim
 Cypri, natione Catalanus, tum Oratoris
 munere apud Ferdinandum Neapolis
 Regem functus, vix comperta Jacobi mor-
 te, ad occupandam Cypri Inſulam ſe-
 rio animum adjiciebat, ope fretus Cata-
 lanorum, qui multas arces in regno oc-
 cupabant. Ut autem res melius ac fe-
 licius ſuccederet, Ferdinandum induce-
 bat, ut ejus filium ſpurium cum Caroli-
 na itidem ſpuria Jacobi filia matrimonio
 jungi permetteret: inito igitur connubiali
 foedere ipſus cum alio Regis Neapolita-
 ni Oratore in Cyprum profectus eſt: eo
 appulſus, Catharinæ Patrum, & alium
 ejus-

*Stephan.
 Luſignan.
 hiſt. Cypr.*

ejusdem consobrinum sicaria manu trucidari jubet; Jacobi vero filiam sex annorum puellam Ferdinandi Filio despondet, eique Principis Galilæi titulum tribuit, pro more Cyprorum, qui cum eorum Principem Regni Hierosolymitani Regem fuisse crederent, Cypriæ coronæ hæredem nomine Galilæi Principis honorabant. Post hæc ambo hi conjurati occupatis urbibus, cunctisque munitissimis Insulæ arcibus, totum Regni imperium sibi arrogabant; Catharinam vero Reginam compellere nitebantur, ut ad Venetos perscriberet, quod sibi pleno cum filio suo disponendi libertas comperet; ejus vero Patruus nonnisi ob immodicam ambitionem suam, sordidamque avaritiam a militibus cæsus fuisset. Verum Regina nefario horum consilio non aquiescebat.

§. VII.

Cessio Cypri in favorem Sabaudicæ Ducis facta.

Carolina legitima Cypri Regina, cum omni spe recuperandi regni sese dejectam cerneret, coram summo Pontifice, atque Cardinalibus solemniter omne jus ad Regnum suum transtulit in Amadæum IX. Sabaudicæ Ducem Ludovici sui Mariti fratrem: ipsa vero reliquos

Ff 5

vitæ

Secul. XV.
A. C. 1473.

Sæcul. XV. vitæ suæ dies Romæ transigere statuit,
A.C. 1473. cui summus Pontifex ad honestam vitæ
En Sylv. suæ sustentationem pro conditionis suæ
Asia cap. 97. ratione annuam assignavit pensionem.
Et comment. Ibidem die decima sexta Julii Anno Do-
lib. 7. mini millesimo quadringentesimo octo-
 gesimo septimo rebus humanis erepta, in
 Ecclesia S. Petri sepulta fuit.

§. VIII.

*Toletanum & Madritense Concilia in
Hispania.*

Marian. hist. In Hispania adeo propudiosa literarum
Hisp. lib. 23. ignorantia Sacerdotes tenebat, ut æ-
cap. 18. gre paucos, qui latinam calerent linguam,
Et 19. invenire esset. Frequentius ventris,
Conc. tom. gulæque vitiis inserviebant; ferme pu-
XIII. p. 1449 blica inter eos erat concubinatus turpi-
 tudo, & arma deferre, & militiam age-
 re, levissima eorum erant piacula; ven-
 dere ac emere beneficia, quod olim simo-
 nia, tunc passim industria censebatur, nec
 propterea eorum animos latentis mali
 suspicio discruciat. (*) Cum vero
 Cardinalis Borgia Pontificis Legatus ad-
 hucdum

(*) Notandum, hæc nec de toto Regno, nec
 de omnibus Hispaniæ Sacerdotibus intelligenda;
 potissimam enim eorum partem eo tempore do-
 ctina ac pietate floruisse, Scriptorum manu-
 menta, & fasti Sanctorum testantur.

hucdum Madriti ageret, celebratus est i- Sæcul. XV.
 bidem præter morem Prælatorum Regni A.C. 1473.
 ac præcipuorum Ecclesiasticorum Con-
 ventus, in quo legationis negotia Cardi-
 nali demandata pertractarentur, simulque
 opportuna hisce abusibus tollendis reme-
 dia decernerentur. Inter alia sancitum,
 ut a summo Pontifice peteretur, quate-
 nus in singulis Ecclesiis Cathedralibus
 duo Canonatus instituerentur, quorum
 alter Theologiæ Doctore, alter juriscon-
 sulto, aut Decretorum Magistro confer-
 retur; ambo autem hi Canonici simul
 ab Episcopo, atque Capitulo eligerentur.
 Annuit Hispanorum precibus Pontifex,
 ac quantocius hanc in rem diploma con-
 fici præcepit. Verum Papa hoc statuto
 omnibus hisce abusibus corrigendis im-
 par erat; quapropter Alphonsus Carillus
 Archiepiscopus Toletanus Concilium,
 coeuntibus ex sua Provincia suffraganeis,
 in oppido de Aranda celebravit. Erat
 hæc Synodus concurrentium frequentia
 admodum celebris, ac propterea non dee-
 rant, qui Archiepiscopum suos Præla-
 tos præcipue eo animo convocasse suspi-
 cabantur, ut ad Concilium confluentes
 in partes Ferdinandi & Isabellæ, quibus
 addictissimus erat, omnibus viribus per-
 traheret, sicque eorum factionem nume-
 ro ac auctoritate firmaret. Ast ut ut
 res se habeat, in hac tamen Synodo sa-
 lutares

Sæcul. XV.
A. C. 1473.

lutares de disciplina ecclesiastica conditi sunt Canones, quorum præcipui sunt.

- I. *Metropolitani concilium Provinciale saltem omni biennio, & Episcopi Synodale annuatim celebrent.*
- II. *Parochialium Ecclesiarum Rectores de cetero habeant in scriptis articulos fidei &c. & solemniter in suis Ecclesiis publicent eos, & publicari faciant.*
- III. *Nullus ad sacros Ordines deinceps promoveatur, nisi sciat latine loqui.*
- IV. *De cetero Clerici aliarum Diæcesum non recipiantur non obtenta, atque edocta commendationis licentia.*
- V. *Clerici ulterius lustruosas vestes induere non audeant.*
- VI. *Episcopi veste linea superiori vulgariter rocheto nuncupata in publico semper utantur.*
- VII. *Sericas vestes Clerici non induant: & in mensa constitutis sacrae Scripturae prælegantur.*
- VIII. *Prælati ter in anno ad minus, & Clerici quater in anno Missam celebrent.*
- IX. *Diebus Dominicis & festiuis ab omni opere servili fideles quiescant.*
- X. *Clerici cum Dominis secularibus, excepta Regia Majestate, vitam militarem ad auxilia armorum præstanda ducere non audeant dissolutam.*
- XI. *Nuptiæ, strepitus &c. temporibus, quibus solemnia Ecclesie interdiciuntur & nuptiales cessant benedictiones, non fiant.*

Cetera hujus Concilii decreta complectuntur canones contra Clericos concubinarios, necnon contra matrimonia clandestina, simoniam, & spectacula, quæ
in

in Ecclesiis exhibebantur; Conditæ Sæcul. XV.
quoque sunt statuta contra ludos alias A.C. 1471.
Clericis prohibitos, item contra raptos
res, & ad certamen particulare provo-
cantes, aliosque.

§. IX.

*Confirmatio Bullæ Pauli II. de redu-
ctione Jubilæi.*

Die decima septima Junii cum summus
Pontifex intellexisset, quosdam Or-^{Papiens.}
dinis Carmelitarum fratres eo temerita-^{epist. 548.}
tis devenisse, ut veriti non essent, dispu-
tando & prædicando asserere, quod
hæreticum, & a veritate fidei alienum
non essent dæmonum expectare respon-
sa; hinc literas dedit ad generalem Bo-
noniensis Episcopi Vicarium, ut de veritate
hujus facti diligenter inquireret. (*) I-
dem Pontifex die vigesima nona Augu-
sti (**) Constitutionem Pauli II. de re-
ductio-

(*) Cum Papiensis loc. allegato nec verbum
de hac Carmelitarum temeritate proferat,
nec de relatione Bononiensis Vicarii, minus
vero de quadam pœna reis a Pontifice irroga-
ta ullibi mentio fiat, merito hæc in Carmelita-
rum odium ab eorum amulis conficta fuisse con-
jicimus.

(**) Ita quidem Continuator; hunc tamen
unacum

Sæculi. XV. ductione Jubilæi ad vigesimum quintum
A.C. 1473. annum editam confirmavit, statuitque,
 ut deinceps annus sacer anno millesimo
 quadringentesimo septuagesimo quarto
 inchoetur a vigilia Nativitatis Domini-
 cæ. Ea quoque Bulla omnes ceteras In-
 dulgentias aliis Ecclesiis concessas toto
 Jubilæi tempore suspensas esse decla-
 ravit.

§. X.

*Cardinalis Riarius totius Italiae Lega-
 tus renuntiatus.*

*Papiens.
 epist. 548.*

Interea Petrus Riarius Ordinis FF. Mi-
 norum, Nepos Pontificis, & S. Sixti
 Cardinalis semper sumptu ac magnificen-
 tia extra modum amplissima Romæ
 prodiit. Eodem hoc anno duo instruxit
 convivia tanta profusione comparata, ut
 Cardinalis Papiensis affirmare haud du-
 bitaverit, quod illis *solemnius aliquid ve-
 tustas tota, nec gentilitas quidem audiverit*
 unquam

unacum Spondano Pagius his verbis pertrin-
 git: Castigandus est Spondanus, qui hoc di-
 ploma editum scribit anno 1473. quarto Ka-
 lendas Septembris; consignatur enim: *Pon-
 tificatus nostri Anno I.* Corrigendus pariter
 Continuator Hist. Eccl. Abbatis Fleury, qui,
 ut assolet, Spondanum transcribit.

unquam. Semel ejusmodi epulo regiae Sæcul. XV.
 magnificentiæ digno excipiebat Galliæ A.C. 1473.
 legatos; Iterum Ferdinandi Neapolitani
 Regis Filiam, Herculis Estensis Ferrariæ
 Ducis conjugem, quam etiam muneribus
 adeo splendidis auxit, ut hujus Cardi-
 nalis prodigalitas inde satis manifeste elu-
 ceret. Hanc profusionem Papiensis Car-
 dinalis in suis epistolis deplorat. Paulo
 post, eodemque anno Riarius a Pontifi-
 ce ejus Patruo Legatione primo per Um-
 briam, dein per universam Italiam au-
 ctus est, ubi in præcipuis urbibus cum
 ingenti pompa & splendore excipiebatur;
 non pauci enim fastus cupiditatem, qua
 hic Cardinalis tumebat, fovere stude-
 bant, ut inde sibi summi Pontificis bene-
 volentiam promererentur.

§. XI.

Regula FF. Minimorum a Pontifice confirmata.

Die vigesima tertia Maji (*) confirma-
 ta est a Sixto Pontifice Regula fra-
 trum Minimorum, a S. Francisco de Pau-
 la, ut jam alibi memoravimus, præscri-
 pta.

(*) Observat, & probat Pagius adversus
 Continuatores, hoc diploma editum fuisse anno
 1474. die 27 Maji, qui annus coincidit cum
 anno III. Pontificatus Sixti IV.

Sæcul. XV. pta. Sanctus iste Vir in quadam rupe
 A.C. 1473. ad littora maris sita solitariam ducebat
 vitam, haud alio strato quam nuda pe-
 tra usus, nec alio præter herbas, atque
 radices obsonio victitabat, & non nisi as-
 sperum cilicium vilissima veste contactum
 indutus incedebat. Postquam vigesi-
 mum ætatis annum agebat, prima Ordini
 fundamenta jecit, adjunctis sibi ali-
 quot instituti sui sociis, qui in quodam
 oratorio a se constructo in unum congre-
 gati divinas laudes decantabant, eosque
 subinde quidam Sacerdos ex proxima
 Paræcia invisebat, sacris operaturus. Ast
 cum Alumnorum numerus indies excre-
 sceret, & fidelium pietas ad novi hujus
 Ordinis sustentationem liberaliter con-
 curreret, Sanctus Franciscus amplius
 asceterium, atque Ecclesiam, annuente
 Pyrrho Cosentiæ Archiepiscopo, exstrui
 curavit. Fabrica demum absoluta Reli-
 gioso cætui suo uniformem vivendi ra-
 tionem præscripsit, suosque discipulos ad
 perpetuam a carnibus, butyro atque ovis
 abstinentiam quarto solemniori voto adstrin-
 xit. Novæ hujus disciplinæ fama jam
 decimo quinto vel sexto anno longe la-
 teque emanabat. Tum temporis hæc
 Congregatio non nisi Fratres (ut vocant)
 Laicos complectebatur, exceptis paucis
 quibusdam Clericis, & uno solo Presby-
 tero Jurium Doctore, qui Balthasar de
 Spino

Bullar. tom.
I. Sixt. IV.
Constit. 5.

Spino vocatus postea aliquamdiu Inno-
centio VIII. a confessionibus erat. Ar-
chiepiscopus Cosentinus horum Religio-
forum sanctitate permotus, pluribus eos
privilegiis ornabat, quæ Pontifex confir-
mavit, sanctumque Franciscum primum
hujus Congregationis Superiorem Gene-
ralem nominavit.

Sæcul. XV.
A.C. 1473.

§. XII.

Octo Cardinales a Papa creati.

Hoc anno die septima Maji Sixtus Pa-
pa octo Cardinales creabat; verum
ad preces Imperatoris, Galliarum Regis,
& Ferdinandi Regis Neapolitani tribus
adhuc aliis locum reservavit, eo fine, ut
quisque horum Principum unum sibi se-
ligere posset, quem Papa ad eandem di-
gnitatem, comperta mox eorum nomi-
natione, publice eveheret. Verum non
modicam inde molestiam patiebatur Pon-
tifex; postquam enim nomina illorum, qui
designabantur, innotuere, quivis eorum
ferme totidem ex Cardinalibus amicos,
quam hostes numerabat, hinc tanta erat
diffidentium contentio, ut desperata suffra-
giorum concordia electionem eorum, quos
hi Principes nominabant, ad proximam
promotionem differre oportuerit. Qua-
propter impræsentiarum nonnisi horum
octo, qui tum purpura decorati erant,
Hist. Eccles. Tom. XXIX. G g no-

Papiens. ep.
510 511 512
/eq. ep. 514.

Sæcul. XV nomina exhibemus. Eorum primus e-
A.C.1473. rat Philippus de Levis natione Gallus,
 Arelatensis Archiepiscopus tit. SS. Petri
 & Marcellini; II. Stephanus Narainus
 patria Foroliviensis, Archiepiscopus Me-
 diolanensis primum tit. S. Adriani, postea
 S. Mariæ trans Tyberim, III. Auxias de
 Podio Hispanus, Archiepiscopus Montis
 Regalis in Sicilia, tit. S. Vitalis, dein S.
 Sabinæ. IV. Petrus Gonzalez seu Gun-
 disalvius de Mendoza Episcopus Sagun-
 tinus, antea tituli S. Mariæ in Dominica,
 demum S. Crucis in Hierusalem, & Ar-
 chiepiscopus Toletanus; V. Antonius Ja-
 cobus Venerius Recinetensis, primum
 Siracusanus, postea Legionensis & Con-
 chensis Episcopus tit. S. Viti, S. Modesti,
 & S. Clementis; VI. Joannes Baptista
 Cibo patria Genuensis, Episcopus Mel-
 fitensis, tit. S. Balbinæ, demum S. Cæci-
 liæ, qui ad summum Pontificatum eve-
 ctus nomen Innocentii VIII. adoptabat;
 VII. Joannes Arciboldus Parmensis, E-
 piscopus Novariensis, tit. SS. Nerei & A-
 chillei, postmodum S. Praxedis & Archie-
 piscopus Mediolanensis; VIII. Stephe-
 nus Hugonetus, seu Hugonectus natio-
 ne Gallus, Episcopus Matisconensis tit.
 S. Luciæ.

Id. Papiens.
epist. 514. &
515. 675. &
seq.

Hæc electio minus probabatur Car-
 dinali Papiensi; unde inquit: *Majo præ-*
terito, Cardinales octo creavimus; Hoc
Junia

Junio eramus pene totidem creaturi, sed dilata, non sublata est res. In alia quadam epistola dicit, dilata est creatio ad proximum natalem Domini Salvatoris, sed de novis his Senatoribus nullus adhuc consistorialiter habitus est sermo. Eidem Cardinali frequens ejusmodi Purpuratorum electio minime placebat, imo innuere videbatur, insolitum esse sine Patrum frequentia Cardinalem creari, nec solius Pontificis esse, quos vellet, inconsultis ceteris Cardinalibus sacro collegio associare. Cum etiam Joannes Arragoniæ Rex Episcopali Ecclesiæ Cæsar-augustanæ Alphonsum, quem Ferdinandus ejus filius ex illicito concubitu susceperat, non nisi sex annorum puerum præfici a summo Pontifice postulasset, Papiensis nomine Sixti Papæ, scriptis ad Joannem literis, datam a Pontifice repulsam excusat his verbis: Sanctitas sua Regiæ Majestatis precibus acquiescere nequit, quin Sacros Canones, cunctasque Ecclesiæ leges violet; his enim prohibetur, puerum Episcopali Ecclesiæ præficere. Equidem Pontifex sublato natalium vitio legis gratiam facere potest, nequit tamen ætatis veniam concedere. Hac de re frequens ultro citroque habita est disputatio, atque animorum contentio; nihilominus tamen Pontifex postmodum Cæsar-augustanam Ecclesiam conferebat Auxiæ de Podio

Sæcul. XV.

A.C. 1473.

Idem epist.

661.

Sæcul. XV.
A.C. 1473.

tit. S. Sabinæ Cardinali, Ecclesiæ Romanæ Vice-Camerario & antehac Archiepiscopo Montis Regalis in Sicilia. Cum vero Arragonum Rex huic nominationi assentiri renueret, atque Episcopum a Sedis suæ possessione arceret, hac de re cum summo Pontifice transigere necesse erat; unde, cum Ferdinandus Neapolis Rex, quem Papa multum timebat, huic quoque negotio sese ingereret, Sixtus indulgere compellebatur, ut præfata Cæsar-augustana Sedes Alphonso puero in perpetuum fiduciario nomine possidenda relinqueretur. Hac concessione, inquit Cardinalis Papiensis, novum introducebatur exemplum, quod summi Pontifices, Regesque tractu temporis frequentius imitati sunt.

§. XIII.

Geldria a Burgundo acquisita.

Interea Arnoldus Geldriæ Dux, postquam Adolphus ejus filius jussu Burgundiæ Ducis captus, & ad Namurcense castrum deductus erat, ut supra retulimus, in omnes ditiones suas, a quibus per Adolphum ingratum suum filium ejectus fuerat, restituebatur. Verum Burgundiæ Dux, cum privato magis, suoque questui, quam communi aliorum commodo intentus esset, sperabat, quod in præstiti obsequii

quii præmium facile Geldriæ Ducatum Sæcul. XV.
 aucupari posset: ut vero eo certius sua A.C. 1473.
 consilia ad optatum perduceret exitum;
 Ideo Arnoldum insolitis cumulabat hono-
 ribus, ejusque animum variis obsequiis
 tam arcte sibi devinciebat, ut ille, A-
 dolpho suo filio ab hæreditatis jure ex-
 cluso, Burgundum Geldriæ hæredem
 scriberet. Non deerant Adolpho, licet
 captivus esset, inter Patris sui subditos
 Amicorum quam plurimi, qui ei opem
 ferre non modo spondebant, sed & ex-
 tremos pro eo adhibebant conatus, cum
 vero viribus ac numero impares essent,
 potentioribus cedere compellebantur. Er-
 go Burgundiæ Dux Geldriæ Ducatum
 occupat, suoque imperio adjungit. Idem
 crescente in novas opes fortuna tam im-
 modica efferebatur superbia, ut stimu-
 lante ambitionis impetu non solum Du-
 catum suum in regnum erigere, sed e-
 tiam Rex Romanorum appellari ambiret,
 hancque in rem filiam suam Maximili-
 ano Friderici Imperatoris Filio in con-
 jugem dare tentaret.

§. XIV.

*Regis consilium de Connestabili
pledendo.*

Ludovicus XI. Connestabilis Sancti Pau-
 li Comitis perfidiam, & clandestina,
 G g 3 qui-

Sæcul. XV. quibus bellum fovebat, molimina ulcisci
 A.C. 1473. decernit; Ast rem aggredi absque opera
 & Burgundiæ Ducis conspiratione minus tutum, eum vero in hanc sententiam pertrahere difficillimum erat. Præterea Connestabilis adhuc dum occupabat oppidum S. Quintini aliasque civitates satis munitas, quæ omnes Gallias inter & Flandriam sitæ fuerant; tantam quoque officii sui dignitas eidem auctoritatem conciliabat, ut omnes ferme Nobiles suo obsequio addictissimos haberet; & quod plus est, ejus etiam imperio Hamona & Bohemium urbes parebant, ac denique totius pene Belgii partem, quæ a Caletensi agro ultra Insulas urbem procurrit, jure domini possidebat. Opportune tamen Regis consilium adjuvit vehementior in Connestabilem Burgundi indignatio. Hic enim memori adhuc animoolvebat fraudes, quibus ad filiam suam in uxorem Aquitanniæ Duci tradendam a Connestabili adigebatur. Itaque nec Galliarum Regi, nec Burgundo deerant obtentus, quibus dolorem ob injurias conceptum severa in Connestabilem ultione explere possent. Rex prior vindictam parat, ac Burgundiæ Ducem ad opprimendum Connestabilem impellit, hancque in rem Franciæ Deputatos ablegat, qui durante induciarum tempore Bruxellis totum negotium pertractarent;

Bohain.

Lille.

rent; Hos inter & Burgundiæ Ducem Sæcul. XV.
 communi consensu decretum est collo- A.C. 1473.
 quium, quod in Bovintaciana urbe haud
 procul a Namurco dissita haberetur. In
 hoc congressu Connestabilis vita in dis-
 crimen adducebatur, eoquod sententiam
 in eum ferendi facultas data esset qua-
 tuor arbitris, Curtonio, & Joanni He-
 bergæ, postea Ebroicensi Episcopo, nec-
 non Hugoneto Cancellario, atque Imber-
 curtio, quorum primi duo natione Gal-
 li, ceteri vero Flandri erant, omnes qua-
 tuor Regi, Ducique addictissimi.

§. XV.

*Connestabilis a Regis & Burgundi
 Deputatis ad mortem damnatus.*

Hi quatuor mox in eandem abiire sen-
 tentiam, ac communi suffragio pro-
 nuntiarunt, quod Connestabilis non mo-
 do in Francia, sed & in Belgio tanquam
 Regiæ Majestatis reus esset publicandus,
 necnon juncto Regis ac Burgundiæ Du-
 cis auxilio comprehendendus; proin-
 quisunque eorum prior Connestabilem
 capturus esset, in eum iudicii acta instrui
 curaret, illumque octavo post captivita-
 tem die mortis supplicio afficeret; Dux
 vero Burgundiæ pinguiorem spoliis partem
 sibi vendicaret, nimirum, S. Quintini op-
 pidum, Hamonam, & Bohemium urbes,

G g 4 necnon

Sæcul. XV. necnon totam auri & argenti vim, præ-
A.C. 1473. ter gemmarum thesaurum, omnemque
 suppellectilem, quæ in præfatis civitati-
 bus reperitur; insuper omnia hujus rei
 bona in Belgio sita proscribantur, ac Bur-
 gundo cedantur. Connestabilis comper-
 ta hac sententia in eum lata Regiæ suæ
 Majestati exponi fecit, vitæ ipsius infi-
 dias ab hisce iudicibus strui, ac Burgun-
 diæ Ducem in ejus ruinam ideo hæc ex-
 trema molitum esse, ut, addidit Conne-
 stabilis, cum me auro corrumpere non
 potuerit, jam me desperationis neces-
 sitate compulsus a Regiæ Majestatis
 suæ obsequio avelleret; quippe eodem
 tempore, quo Burgundus cum Francia
 concordiam sancire simulabat, clam me
 sollicitavit, sponditque, quod adver-
 sus Regem meas partes tueri vellet, dum-
 modo ejus potestati oppidum Sancti
 Quintini traderem. Cum ergo Rex præ-
 fatæ urbis dominium amittere merito
 pertimesceret, persuasissimum sibi habebat,
 omnia ejus consilia, quæ adversus Con-
 nestabilem moliebatur, ab ipso Duce suis-
 se prodita, eo fine, ut eundem eo certius
 ad suas partes pertraheret.

§. XVI.

*Mandata Deputatis data a Rege
 revocata.*

Rex intellecta Connestabilis relatione,
 matu-

maturiusque perpensis rationum momen- Sæcul. XV.
A. C. 1473.
tis animi sententiam mutabat, simulque
literis Bovintacum ad suos Delegatos
dabat, quibus eisdem injunxit, ne ul-
tra quicquam adversus Connestabilem
attentarent, sed inducias ad semestre
vel unum annum prorogarent. Verum
intempestiva Deputatorum solertia Re-
giæ epistolæ bajulum prævenit; jam e-
nim extremum Connestabilis supplicium
ad vesperam præcedentis diei conclusum,
atque subscriptum erat. Nihilominus
Gallorum Deputati jussa Regis ad Flan-
dros eorum socios deferebant; hi vero,
cum haud temere suspicarentur, quod
Rex acta nullatenus rata habiturus esset,
& ipsi haud difficulter subscriptam sen-
tentiam Gallis tradebant, ipso Burgundo,
ut opinio ferebat, annuente; is enim
necdum spe sua dejectus erat, fore, ut
Connestabilis ei S. Quintini urbem ces-
surus esset. Hæc tamen nihil obstabant,
quo minus induciæ non nisi ad mensem
Majum Anni millesimi quadringentesimi
septuagesimi quinti prorogarentur. Post
hæc Rex Connestabili significari præce-
pit, quod rei gravitas mutuam exposce-
ret colloquium, ut ambo ibidem junctis
viribus Burgundiæ Ducis conatus infrin-
gere decernerent. Id etiam anno poste-
riori executi sunt.

Secul. XV.
A.C. 1472.

§. XVII.

*Reconciliatio Regis Castellæ cum
Isabella sorore sua.*

Hoc anno Henricus Castellæ Rex in gratiam rediit cum Isabella sorore sua Ferdinandi Arragonum Regis conjugē. Hæc a nonnullis Optimatibus, qui Henrico infensi erant, Castellani Regni hæres salutata fuit, & clam conspirantibus quibusdam Aranadæ civitatis, quæ Durio fluvio adjacet, civibus Urbem inopinato occupavit. Rex Isabellæ frater rei indignitate vehementer commotus, delectu habito urbem recuperare statuit; ea enim erat Reginae conjugis suæ in hæreditatis portionem adscripta. Ast Regem a proposito Andreas de Cabrera Regii Palatii Magister & Segobiæ Præfectus avocabat, exponens, quod Villenæ Marchio studiose Regis animo adversus Isabellam sororem suam odium inspiraret, ut ex eorum dissidiis ipse potentior evaderet. Hujus verba cum Cardinalis Hispanus, & Beneventanus Dux sua quoque auctoritate firmarent, Rex Sororis nuptias consensu suo ratas habuit. Eo impetrato Beatrix de Bonadilla Cabreræ conjux habitu rusticam eimentita confestim discedit, & Isabellam adit, eamque de placato Regis fratris

fratris sui animo edoctam secum ad Segobienſe caſtrum deducit, ubi Frater & Soror in mutuos amplexus ruebant.

Sæcul. XV.
A C 1473.

Tam tenera erat utriusque reconciliatio, ut de ejus firmitate nulli dubio locus eſſe reliquus videretur. Verum Villenæ Marchio re comperta confestim Albuquerſi Ducem Reginæ in paucis carum adiit, ut cum eo de novis artibus, quibus Henrici animum ab Ifabella diſjungeret, deliberare poſſet. Nihilominus omnes illorum Procerum, quibus hæc concordia ſat inimica erat, conatus diſſipati ſunt, ſimulac Ferdinandus Arragonius conjugis ſuæ ſuaſu Regem acceſſerat, atque ab eo haud vulgaribus amicitiaſignis exceptus fuerat. Necdum tamen deſeruit Marchionis, atque Ducis audacia; clãdeſtina enim Regem inter & Sororem diſſidia innovandi ſpem fuiſſe everſam ægerrime ferebant, hinc rem aperta vi aggredi ſtatuunt. Ergo cum nonnullis copiis Segobiam urbem invadere tentant, ut Ferdinandum in captivitatem ſecum abſtraherent. Aſt deſtino detectis eorum conſiliis Cabrera urbis ſecuritati tanta ſedulitate proſpexit, ut Arragonius omni periculo vacuus, tuto ad Luſitaniam Regem Patrem ſuum reverteretur, licet illum novis belli tumultibus implicatum reperiret.

§. XVIII.

Sæcul. XV.
A. C. 1473.

§. XVIII.

Seditio Perpinianensium adversus Gallos.

Cum Administri, quos Galliarum Rex in Ruscinonensi Comitatu constituerat, incolas gravibus plane molestiis exagitarent, Joannes Navarræ Rex missis ad Ludovicum Legatis de injuria conquestus est. His vero haud aliud in responsis datum, quam quod Navarrus aut pecunias sibi creditas, aut utriusque Comitatus, Ruscinonensis & Ceretanensis dominium Regi mox redderet. Conditio utrinque dura, ac neutra Joanni accepta, unde ipse comperta civium seditione Perpinianum contendit; Verum a Gallis ibidem obsidione cingebatur; Hi tamen ab incolis urbe erumpentibus cæsi fugati sunt, pluribus eorum desideratis. Ast hæc ipsa velitariae pugnae frustratio animorum indignationem inflammabat; unde Galli tunc primum ad militaris disciplinae præscriptum obsidionem auspicantur, urbemque ad extremas redigunt angustias; omni enim ex parte commeatum obsessis intercludunt, ac maturas ad falcem segetes in agris continenti incendio conflagrant. Perpinianenses Regis Arragonii ibidem inclusi præsentia, nec non Ferdinandi ejusdem

dem Filii exemplo animati, tam invicta Secul. XV.
 animi fortitudine hostium impulsus exci- A.C. 1473.
 piebant, ut Gallorum exercitus obsidio-
 nem solvere, & pactis utrinque sex men-
 sium induciis pedem referre compelleretur.
 Verum Ludovicus XI. vix elapso
 semestri urbem redintegrata obsidione
 ad deditioem subegit.

§. XIX.

Mediolanensis Ducis iter ad Florentiam urbem.

Ad Pentecostes solemnia Ludovicus Brutus hist.
 Sfortia Mediolanensium Dux adven- Florent. lib. 5
 tu suo Florentiam honorabat, ut votum,
 quod nuncupaverat, persolveret. Ergo
 Cives obviam effusi adventantem summis
 honoribus, ingentique pompa excipiunt;
 eorum tamen lætitia brevi in luctum
 versa est; cum enim quidam Juvenes, ut
 huic solemnitati majorem adhuc splen-
 dorem conciliarent, descensum Spiritus
 sancti in specie ignis ex fornice Cathedra-
 lis Ecclesiæ exhiberent, & totius po-
 puli mens, & oculus ad hujus spectaculi
 novitatem affixus hæreret, repente ignea
 ejusmodi lingua tecto Ecclesiæ adhæ-
 rens, tanta rapiditate latius ubique in-
 cendium propagavit, ut tota pene Eccle-
 sia flammarum vi absumpta fuerit, nihil
 proficiente ignem extinguendum sollicitu-
 dine.

Paulo

Sæcul. XV. Paulo post Sfortia cum Florentia Me-
 A.C. 1473. diolanum reversus esset, excepit Genuer-
 sium legationem, cujus Princeps erat
 Franciscus Marchesius Jurisconsultus.
 Hic a Duce equidem audiri desperabat;
 eum enim semper accessu satis difficilem
 noverat, nunc vero difficiliorem; cum
 Ducem minime lateret; hanc legatio-
 nem unice eo fine a Genuensibus, quibus
 ipse imperabat, fuisse decretam, ut ad-
 versus tyrannicum ejus imperium que-
 rerentur; nihilominus tamen Marchesius,
 ne omnino re infecta abire cogere-
 tur, Sfortiæ Duci parvam corbem quadam
 planta, quam *Ocimum* (*) vocant, reple-
 tam transmisit. Sfortia Dux accepto mu-
 nere quantocius Marchesium accersiri
 jubet, ut ab ipso met de hujus doni ratio-
 ne ac mysterio edoceretur. Itaque Mar-
 chesius Duci rem sciscitanti hunc in mo-
 dum respondit „Celsissime Princeps! con-
 „ spectum tuum subeo Genuensium Le-
 „ gatus, quorum indoles huic plantæ
 „ simillima est; hæc enim moliter ta-
 „ sta suavem exhalat odorem, contrita
 „ vero ac compressa scorprios generat.“
 Prompta hæc non minus ac concinna re-
 sponsio tantopere Duci placuit, ut dein-
 ceptus Genuenses mitius haberet, ac ma-
 jori erga eos moderatione uteretur.

§. XX.

(*) Hanc plantam Galli *Basilic*, Germani ve-
 ro *Basiliensfraut* appellant.

§. XX.

Sæcul. XV.
A. C. 1473.*Joannis Juvenalis Archiepiscopi
Remensis obitus.*

Hoc anno Francia luxit Joannem Juvenalem ab Ursinis Remensem Archiepiscopum, Guilielmi de Ursinis Baronis de Tresnel, & Galliæ Cancellarii fratrem. Is libellorum supplicum Præfectura, aliisque officiis summa cum laude perfectus, Clericali militiæ nomen dedit, ac primum Bellovacensis, postea Landanensis Episcopus, demum vero defuncto Jacobo fratre suo Remensis Metropolitanæ Ecclesiæ Antistes anno millesimo quadringentesimo sexagesimo primo renuntiatus est. Eodem anno Ludovicum XI. Galliarum Regem inaugurabat, hic idem cum aliis quibusdam Prælatibus nominabatur, ut ex auctoritate Callisti III. Pontificis iniquam sententiam, quæ lata erat ab Anglis in Joannam D'arcia sub nomine Aurelianensis Puellæ fastis celebratam, discuteret, ac corrigeret. Postea Joannes Synodum coegit: tandem vero die quarta decima Julii anno Domini supra millesimum quadringentesimo septuagesimo tertio, ætatis suæ octogesimo quinto e vivis excessit, in sua Metropolitana Ecclesia sepultus. Posteris reliquit Historiam vitæ Caroli VI. Gallia-

*Sansovin.**geneal. fam.
mil. Ursin.**S. Marth.**Gall. Christi.
de Arch.
Rem.*

Sæcul. XV. A.C. 1473. Galliarum Regis, quam ab Anno Incarnationis Dominicæ millesimo trecentesimo octogesimo primo usque ad annum Christi millesimum quadringentesimum vigesimum secundum continuavit. Hanc Theodorus Godefridus, qui Parlamenti Advocatus erat, Anno millesimo sexcentesimo decimo quarto in forma minori publici juris fecit, demum Dionysius ejusdem filius Regis Historiographus Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio majoribus literis excusam notis illustravit, atque auctam edidit. Referunt Historicorum nonnulli Juvenalem post fratris sui obitum Cancellarii munere in Galliis decoratum fuisse: sed hi firmo destituuntur documento; ac errore nominis decepti Joannem Ursinum haud discernunt a Guilielmo Ursino ejus fratre, qui a Ludovico XI. Galliarum Rege sub primis regiminis sui auspiciis Cancellarii dignitate exutus fuit, quamvis postea eundem Anno Salvatoris nostri millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto pristinae dignitati restitutum fuisse constet.

§. XXI.

Fortiguerræ Cardinalis obitus.

Aubery hist. Cardinal. Hoc anno vix non exeunte die vigesima prima Decembris Nicolaus Fortiguerra

tiguerra S. R. E. Cardinalis, Theanensis Sæcul. XV.
 Episcopus Pistoriæ in Etruria ex nobilif- A.C. 1473.
 sima juxta ac spectatissima hujus status
 familia ortus, Viterbii animam Deo red- Comment.
 didit, postquam annum quinquagesimum Pii II. lib. I.
 quintum ætatis suæ emensus erat. Eu- § 2.
 genius IV. & Nicolaus V. Pontifices in Pandolph.
 pluribus negotiis expediendis hujus Epi- Collenut. 1.6.
 scopi opera usi sunt, secundo semper suc-
 cessu. Romam vocatus a Pio II., cui
 ex stirpe materna sanguine junctus erat,
 Theanensi Ecclesiæ primum præficieba-
 tur, dein Legationem Neapolitanam obi-
 bat, ut de conditionibus investituræ ad
 Regnum Neapolis cum Ferdinando age-
 ret. Idem Beneventum & Terracinam
 sacræ Sedi recuperavit, firmavitque nu-
 ptias inter Antonium Piccolominæum
 Papæ Nepotem, & Ferdinandi Neptem,
 cui Rex Melphitensem Ducatum, & Co-
 mitatum Celanensem in dotem concessit.
 Referunt nonnulli, quod Theanen-
 sis Episcopus eadem occasione opportune
 usus, varia transcripserit monumenta, qui-
 bus *vinculum Regni Neapolis & Regiæ in Papiens.*
Ecclesiam Romanam fidei ac clientelaris po-
testatis, necnon beneficii jus probatur. epist. 541.
 Anno millesimo quadringentesimo sexagesimo
 sacro Cardinalium Collegio adscriptus,
 paulo post supremo Pontificii exercitus
 imperio decoratus fuit, ut adversus Se-
 dis Apostolicæ hostes expeditionem bel-
 licam

Sæcul. XV. licam suscipere, in qua Malatestam, ere-
A.C. 1474. ptis Fano-fortunæ, aliisque pluribus ur-
 bibus tum in Romandiola, tum in Mar-
 chia Anconitana sitis, ad petendam pa-
 cem compulit. Idem in comitiis Ponti-
 ficiis, pro Sixto IV. suffragium tulit.

§. XXII.

Mors Petri Riarii Papæ Nepotis.

*Ciacon. in
Sixt. IV.
Papiens. ep.
548. & 549.
Coriol. p. 6.
Onuphr. in
Chron.*

Anno sequenti millesimo quadringente-
 simo septuagesimo quarto Papa unum
 ex suis Nepotibus amisit Petrum Ria-
 rium, haud ita pridem ad purpuram
 evectum. Hunc veneno sublatum fuisse,
 quidam scripsere, & sepultum in Ecclesia
 SS. duodecim Apostolorum Pontifex,
 qui ipse exequiarum solemnibus præ-
 sens erat, ad tumulum ejus amare de-
 flevit, eumque *carissimum sibi & spem
 suam* appellavit. Superstitem reliquit
 fratrem, nomine Hieronymum, æque
 Pontifici dilectum, qui & defuncto apud
 Patrum suum in gratiæ atque favoris
 locum succedebat. Hic itidem a Ponti-
 fice Foricornellii & Forolivii Princeps
 creatus erat; a fratre tamen suo moribus,
 atque ingenio longe disjungebatur; Hie-
 ronymus enim Petro magis severam ha-
 bebat indolem; de cetero autem nullis
 voluptatibus præter solas venationum
 illecebras deditus erat. Uxorem duxit
 Catha-

Catharinam Filiam Ducis Mediolanensis spuriam, cujus connubii causa Ducis frater a Pontifice Cardinalis creatus est. Ceterum cum Petrus etiam esset Patriarcha Constantinopolitanus, eo defuncto in locum ejus susceptus est a Sixto Papa Hieronymus Landus, natione Venetus, Insulæ Cretensis Archiepiscopus, Vir de Ecclesia optime meritus.

Sæcul. XV.

A.C. 1474.

§. XXIII.

Regis Danicæ peregrinatio Romam.

Ineunte hoc anno Christiernus Daniæ Rex Romam peregrinatus est; priusquam vero hoc iter pietatis stimulo incitatus susciperet, ad summum Pontificem literas dedit, significans, habere se in animo, Romam petere, ut Pontificiam benedictionem reciperet. Rescripsit Papa, dictante Cardinale Papiensi, in hæc verba: *Plurimum lætati sumus adventus tui nuntio, videntes peregrinationem tuam plenam esse propositi boni ac fidelis . . . Nos, qui tuam serenitatem, comitatumque tuum in tempore accipiant, & in urbem usque prosequantur, ad fines ditionis Ecclesiæ esse jubebimus, nullæque pietatis & devotionis obsequia a nobis tibi bene merito deerunt. Igitur Christiernus Dania proficiscitur, frequenti Nobilium comitatu peregrinantium habitu vestito stipatus. Rex in quavis*

Papiens.
epist. 624.

H h 2

urbe

Sæcul. XV. urbe magnifice excipiebatur; præcipue
 A C. 1474. vero Romanus Pontifex, quæ Papiensis

Papiens.
 epist. 556.

Cardinalis ejus nomine prompte promisit, liberalius exsolvit. Nos, inquit Papiensis, hic Dacarum Regem honoribus summis excepimus: turba omnis curialis egressa est obviam: Patres ad portam congressi medium illum per urbem ad Basilicam S. Petri, inde ad Pontificem perduxere. Religio summa in summo Rege enituit, procubuit in genua ante illius pedes Frequens erat Pontifici, atque Cardinalibus cum Rege colloquium; cum tamen is latini idiomatis ignarus esset, per Interpretem loqui necesse erat. Rex, subjungit Papiensis, Pontifici exeunti ad divina, & manus lavanti pelvim sustinuit; inter primos duos Cardinales ad confessum receptus, non prius sedere, non prius tegi voluit, quam utrumque ab utroque factum esset. Me hodie rogari per Interpretem fecit, ut pateremur post omnes Cardinales ad osculum Crucis eum ascendere; erat enim hæc dies Parasceve. Demum Rex summum Pontificem rogabat, ut votum peregrinationis in terram sanctam a se nuncupatum in aliud opus commutaret. Annuit Papa, injunxitque Regi, ut eleemosynam Hospitali ad S. Spiritum de Saxonia, quod non longe a Romana Basilica S. Petri distat, elargiretur. Tandem Christiernus a summo Pontifice magnis muneribus cumulat

Krantz. 8.
 Dan. 37.
 12. Sax. 12.

latus, Roma discessit; in quibus, conclu-
dit Papiensis, *Rex a Septentrionibus ve-*
niens nos, quo animo esse in summum Sa-
cerdotium debeamus, suo exemplo edocuit,

Sæcul. XV.

A C 1474.

§. XXIV.

Christiernus Roma redux Burgun-
diæ Ducem invisit.

Christiernus ad sua rediens, ad Bur-
gundiæ Ducem divertit. Hic eo
tempore Nussiam in Germania gravi ob-
fisione premebat. Verum totum hujus
expeditionis bellicæ initium altius repe-
tere oportet.

§. XXV.

Burgundi ambitio Ducatum suum
in Regnum extollere meditantis.

Jam firmum Burgundiæ Ducis animo
infederat consilium, ut status suos ad
regium nomen extolleret, atque augusto
Burgundici Regni titulo augetet; Desuit
tamen Imperatoris consensus, sine quo
secundum rebus suis exitum haud spera-
re poterat; Ergo filiam suam Maximi-
liano ab Austria, unico Cæsaris Filio in
conjugem offert; ast cum eam jam plu-
ribus aliis Principibus promisisset, cui
eam traderet, ipse fixum, ratumque
nondum habebat. Nihilominus, ut ma-
trimo-

H h §

trimo-

Sæcul. XV.
A.C. 1474.

trimonium cum Austriaco firmaret, congressum cum Imperatore postulat. Cæsar, quamvis subdolum Ducis ingenium satis compertum haberet, haud ægre tamen colloquio assensit, quod in Trevirensi urbe habebatur: ibidem Burgundiæ Dux ab Imperatore Rex creari postulabat: cum autem Fridericus prius nuptias esse celebrandas responderet, Burgundus parum hæsitans, Cæsaris petito cessit; quamvis vix non evidens esset, quod cuncti, qui quasdam veteris Monarchiæ Burgundicæ Provincias possidebant, ejus proposito obluctaturi essent, imo ipsemet Imperator jamjam decreverat, in hoc rerum articulo nihil innovandum esse, nisi adjiceretur hæc clausula: *Salvo eorum, quorum interest, jure.* Nihilominus Dux hac Friderici indulgentia audacior factus, insuper postulabat, ut in ejus favorem Cæsar Sacrum Romanum Imperium renunciare velit; ipse vero vicissim Friderico spondebat directum jus beneficiariæ possessionis ad Archiepiscopatum Bisuntinum, necnon ad tres Episcopatus Metensem, Tulensem, & Veredunensem. Id etiam Duci Imperator, quantum in ipso esset, haud ægre concessit, salva tamen conditione, nisi Corpus Germanicum obluctetur, & hujus cessionis effectum impediatur. Petiit insuper Dux, ut Imperii Legatus & supremus illius Vicarius pro

pro tota Germania inferiore declaretur: Sæcul. XV. A.C. 1474.
 hujus quoque honoris literæ publicæ
 ut expedirentur, datum est Burgundo.

Jam vero tota rei summa hærebat in firmando connubio, quod Dux Imperatoris Filio obtulerat. Hujus etiam pacta eriguntur, atque signantur, Imperator quoque a Duce recipit tam de Geldriæ Ducatu, quam aliis Belgii ditionibus intra fines Imperii fitis solitum fidelitatis Sacramentum. Post hæc constituitur dies solemnibus nuptiis, ac coronationi sacrandæ, Duxque, ut ferunt, coronam, sceptrum, regias vestes, ceteraque omnia ad inaugurationem & pompam necessaria in promptu haberi jussit. Verum novæ gratiæ petitio obtentorum amplitudinem penitus evertit; liberius enim postulabat Burgundus, ut pariter Rex Romanorum salutaretur, caussatus, Imperatorem senio confectum esse: Filium vero ejus, ut ipsi succedere posset, legitimæ ætatis defectu prohiberi; æquius igitur fore, ut Imperialis corona caput Ducis prius ornaret, ac demum ab eo ad generum suum transiret.

§. XXVI.

*Dux ob petiti audaciam omni spe
 frustratus.*

Imperator audacioris petiti arrogantiam
 H h 4 adeo

Sæcul. XV. adeo vehementer indignabatur, ut coa-
A.C. 1474. Et Germanorum Principum conventu
 eidem significaret, quod Burgundiæ
 Dux nimium obsequiosa eorum indulgen-
 tia abuteretur, atque etiam Filix suæ pre-
 tio Coronam Imperii mercari vellet, eam-
 que contentiosius ambiret. Ad hæc com-
 munis omnium erat sententia, Ducem in
 temeritatis poenam, non solum corona-
 tionis honore frustrandum, sed etiam
 eum nullo dato responso dimittendum
 esse. Imperator horum consilium secu-
 tus, altera die summo mane discessit,
 Duce nequidem salutato, aut valere jussu;
 eodem momento omnes Germani, qui
 cum Cæsare Treviros venerant, raptim
 vasa colligebant, & abeuntem comita-
 bantur, simulque tam præcipitis discessus
 causam obtendebant, quod de seditione
 Coloniae suscitata nuntium accepissent,
 dicebant igitur, quod recens nato prom-
 ptum adhibere remedium necessitas ur-
 geret.

§. XXVII.

*Duo Competitores Coloniensis
 Archiepiscopatus.*

Hujus seditionis originem recensere
 oportet. Igitur duo Principes Co-
 loniensem Ecclesiam sibi vendicare con-
 tendebant, quorum hic ex Hassiæ Land-
 graviorum, alter ex Comitum Palatinorum
 Rhemi

Rheni familia descendebat. Favebant Sæcul. XV.
 Cives Colonienses Hassiæ Principi, hunc A.C. 1474.
 que in finem Landgravii ejus fratris au-
 xilia anxie præstolabantur. Nec segnior
 Elector Palatinus opem in armis quæ-
 rens, copias contraxit, ut alterum Ar-
 chiepiscopatus Competitorem Rupertum
 Principem, Filium suum, qui nonnullo-
 rum Canonicorum suffragiis electus erat,
 pro viribus defenderet. Imperator di-
 scussis hinc inde juribus Hermani Has-
 siæ Principis parti sese addixit.

§. XXVIII.

*Fanatica, atque ambitiosa Bur-
gundi Consilia.*

Dux Burgundiæ Cæsaris repulsa, ac
 eorum, a quibus diadema Imperii
 sperabat, cachinis vehementer concita-
 batur; unde in Coloniensium tumultu
 opportunam vindictæ occasionem sibi of-
 ferri existimabat. Ergo nulla mora se
 Ruperto Principi adhærere palam profes-
 sus, Nussiam seu Novesium urbem obsi-
 dione cingit, non tam ut Ruperti jura
 tueretur, quam maxime ut Electoratum
 Coloniensem sibi assereret. Jamjam spe
 sua devoraverat cunctas arces, & oppida
 Rheno imposita, necnon omnes circum-
 circa Coloniâ sitas urbes, Bonnam, No-
 vesium, ceterasque animo tenus substrave-
 rat,

H h 5

rat,

Sæcul. XV. A.C. 1474. rat, easque armorum suorum terrore subactas tamdiu pignoris loco retinere constituit, donec hujus belli sumptus plene sarcitos haberet; harum vero expensarum summam adeo immodicam præfigere intenderat, ut Rupertus Princeps illis solvendis nunquam par esse posset. Postremo demum ambitionis commento sibi promittebat, Coloniensem urbem abs dubio ab exercitu suo tam arte includendam fore, ut brevi ad deditionem compelleretur. His inanibus somniis sibi in animo suo effingebat potentissimam Monarchiam, quæ inter Galliæ atque Germaniæ imperia interjaceret, & a Noviomago in Geldria primo usque ad Ferretanum Comitatum, quem a Sigismundo Austriaco sibi oppignoratam tenebat, ac denique Basileam usque latius procurreret.

§. XXIX.

Induciarum prorogatio ad semestre Gallos inter & Burgundum.

Nil ultra amplissimis Burgundi consiliis obstare videbatur, quam proximus finis induciarum, quas cum Galliarum Rege inierat. Ergo & has ad sex Menses extrahi petit: Cum vero Gallis satis compertum esset, quod Dux pacto cum Anglis foedere Ludovicum XI. aggredi-

ac Regno exuere meditaretur, hinc una-
 nimi voto omnes Regis Consiliarii in eam
 abiire sententiam, petitam a Duce indu-
 ciarum prorogationem omnino denegan-
 dam esse. Soli Ludovico displicuit con-
 silium, plurimum, dicebat ille, ad Galli-
 ci Regni emolumentum pertinet, ut Du-
 ci significetur, ejus petita a Gallis non
 sine animi voluptate acceptanda fore: sibi
 enim persuasum habebat Rex, quod Ger-
 mania periculosus adeo esset scopulus, in
 quem Burgundus incautius allidens cer-
 tum pateretur naufragium. Quare in-
 duciis ad sextum mensem protractis Re-
 gis cura præcipue in eo stabat, ut Her-
 manum Hassiæ Principem clam submissis
 Procuratoribus, atque etiam promissis
 auxiliis ad strenuam defensionem incen-
 deret.

Sæcul. XV.
 A.C. 1474.

§. XXX.

*Novesium a Burgundo obsessum, ac
 tandem aditu præclusum.*

Regis vaticinium non fefellit eventus;
 quippe Burgundus Novesium præter
 omnem suam expectationem annona,
 omnique belli apparatu optime instructam
 experiebatur. Jam primis obsidionis
 diebus validissimæ oppugnatorum eru-
 ptiones Duci prænuntiabant, se nun-
 quam urbem, cui Hassiæ Landgravius &
 Her-

Sæcul. XV. Hermanus frater ejus cum mille octingentis equitibus totidemque peditibus præessent, armorum vi expugnaturum; quapropter ab oppugnanda urbe ad circumsidendam consilia vertere statuit; Neotamen benignior fortuna suo adspirabat consilio; quippe ejus copiæ partim iteratis obsessorum eruptionibus, partim Coloniensium aggressionibus admodum debilitatæ erant; insuper Colonienses com meatui, ac bellicis instrumentis ad Burgundi castra advehendis omnem usque adeo intercluserant aditum, ut Dux ex solo Geldriæ Ducatu annonam sperare posset. Equidem Rex Angliæ juxta Frederis cum Burgundo initi leges Gallias valido exercitu invadere parabat. Jamque in eo erat, ut copias suas classem conscendere juberet, cum quosdam ad Ducem ablegat, qui eum monerent, ut Novesii obsidionem solveret Burgundus: ast Dux, cum id sine honoris sui dispendio fieri haud posse existimaret, qua precibus, qua arte tantum effecit, ut Eduardus expeditionem suam usque ad annum proximum differret. Profuit sane hæc circumstantio Gallis, qui hinc ab Angliæ Rege, illinc a Burgundiæ Duce armis belloque pressi haud dubie hostium numero succubiissent.

§. XXXI.

Sæcul. XV.
A.C. 1474.*Novesio urbi auxilia ab Imperatore
missa.*

Interim jam septimum in mensem arcta
satis effluebat obsidio. Nihilominus
Colonienses & Hermani Principis amici
sexdecim armatorum millia contrahunt,
ac tentoria e regione Burgundici exer-
citus figunt, solo Rheno utriusque exerci-
tus castra interfecante. Imperator quoque
valido agmine laboranti urbi subsidio ve-
nit, missoque in Gallias Legato Regem
hortatur, ut ipsi cum viginti bellatorum
millibus præsto esset. Rex spem verbis
fovebat, nunquam tamen promissum ex-
equi statuit, partim quod apertum cum
Burgundo bellum, quamdiu posset, decli-
nare intentus esset, partim quod ad
omnem horam infestum Anglorum ex-
scensum in Franciam pertimesceret. Qua-
re nil amplius egit, quam quod Cæsaris
Legatum multis benevolentiae signis, &
quadringentorum aureorum dono auctum
remitteret, atque eidem itineris comitem
daret Tercelinum de Broffa, cui injun-
ctum, ut ad Burgundiæ Ducis ditiones
junctis viribus occupandas Imperatoris
animum incenderet, ac nomine Ludovici
polliceretur, quod Rex duntaxat eas sibi
reservaturus esset Provincias, quæ Gal-
lici

Sæcul. XV. A.C. 1474. licet juris forent, ceteras vero omnes habere Friderico relinquere vellet. Ad hæc reposuit Imperator, *pellem urso necdum occiso, seu prædam in antecessum dividere, ridiculum esse.* Cum autem Ludovicus XI. potissimum eo tempore timeret, ne Burgundo Anglis juncto sibi tota belli moles incumberet, in eundem novos concitavit inimicos, Lotharingæ Ducem, Sigismundum Austriacum, Helvetios, & Imperii urbes ad Rhenum sitas.

§. XXXII.

Bellum per Lotharingæ Ducem Burgundo indictum.

*Commin.
lib. 4. cap. 2.*

Lotharingæ Dux, cujus hic mentionem facimus, erat Renatus Ferris seu Friderici Valdemontii Comitis Filius, & Nepos Renati Siciliae regis, qui eidem Lotharingæ Ducatum cesserat, eoquod ille hæreditatis portio esset Jolandæ Matris suæ, necnon Isabellæ de Lotharingia aviæ suæ, quæ Renati Siciliae Regis conjux erat. Juvenis hic Princeps quidem firma satis adhuc pace cum Burgundo fruebatur; cum vero eum minime lateret, quod Burgundus varie quæsto obtentu ejus ditiones occupare moliretur, hinc ad id stimulante Ludovico XI., copias suas in aciem eduxit, bellumque

Bur-

Burgundo nunciavit, hancque in rem fe-
 cialem Novesium misit, demum in Bur-
 gundiam populabundus excurrit, & Pe-
 trafortem munitissimum quoddam castel-
 lum secundo lapide Nancejo, quod Lo-
 tharingiæ caput est, diffitum occupat, ac
 penitus solo æquat. Nec tamen inde
 Burgundus animo fractus, Novesii obsi-
 dionem solvebat, sed omnibus, qui ei
 exponebant, quod exercitus animo &
 numero exhaustus, & Provinciæ ejus
 scæde devastatæ, ac præter annonam ad-
 vehendi difficultatem expensæ, quas su-
 finere cogeretur, ferme immensæ essent,
 nihilominus Dux cunctis intrepide re-
 spondit, agi de honore suo, nec se sine
 suo dispendio obsidionem solvere posse,
 etsi ea solidum adhuc annum teneret,
 proin potius paratum se esse ante Novesii
 moenia mortem oppetere, quam a cæpto
 desistere.

§. XXXIII.

*Sigismundi Austriaci irruptio in
 Ferretanum Comitatum.*

Alter adhuc hostis Sigismundus Au-
 striæ Dux Burgundo instabat. Hic
 acceptis centum florenorum millibus ei-
 dem Ferretanum Comitatum pignori re-
 linquebat; cum vero Sigismundus prole-
 careret, ac in luxum immoderatus effu-
 sus

Sæcul. XV.
A.C 1474.

Pierre-forte

Sæcul. XV. A.C. 1474. fus esset; hinc vix spes supererat, quod vel unquam ditionem oppignoratam redimere vellet, quamvis tabulæ hanc in rem scriptæ disertis verbis hanc completerentur conditionem: quod Comitatus, nisi a Sigismundo redimeretur, Ducis dominio cederet. Ceterum eadem hæ tabulæ neglectæ cujusdam conditionis vitio scatebant, quo tamen Ludovicus XI. in rem suam opportune utebatur; Legibus enim imperii sancitum erat, ne ullus Princeps beneficiarium Imperii Germanici prædium inconsulto Cæsare alienaret: hujus autem consensum impetrare neglexerat Burgundus, quem tamen haud dubie obtinuisset, si debitas solvisset pecunias. Delata est hujus rei notitia ad Sigismundum, qui obtento honesto belli prætextu, eo promptius sese conspirationi in Burgundum conslatæ addixit, quo magis sibi perspectum habebat, nihil ardentius a foederatis desiderari, quam nominis sui auctoritatem, ut rursus in præfati Comitatus possessionem restitui posset.

§. XXXIV.

Alterum Ludovici XI. fœdus cum Helvetiis.

Tandem etiam Helvetii, ac omnes Imperii urbes ad Rhenum sitæ, Ludovici

vici XI. impulsu in Burgundiæ Ducem ^{saecul. XV.}
 concitantur, atque in eum arma capes- ^{A.C. 1474.}
 sunt. Helvetios Rex ad exequenda sua
 consilia in societatem vocare jam du-
 dum volutabat animo; obstabant tamen
 bella, quibus ipsimet adversus Basileam,
 Argentinam & nonnullas alias urbes im-
 pliciti erant. Ergo Rex pacis concilia-
 torem agere aggreditur, valuitque suc-
 cessus; sed aliud adhuc, nec illud sper-
 nendum consiliorum cursum morabatur
 impedimentum; ardebat quippe bellum
 Helvetios inter & Sigismundum; cum
 enim isti Sigismundo adverso Marte di-
 micanti Ruperti-villam, Dieffenhofam,
 Frewensfeldam, & Tirgobiensem tra-
 ctum eripuissent, & brevi tempore hunc
 Ducem omnibus suis ditionibus exuere
 sperarent, nil certius esse videbatur,
 quam quod iidem victoriis inflati quas-
 cunque demum, etiam honestissimas pa-
 cis condiciones rejectari essent. Omnem
 pariter concordiae ineundae spem praeci-
 debat implacabile Sigismundi odium,
 quo Helvetios tanquam rebelles suae do-
 mus subditos insectabatur. Nihilominus
 Ludovici dexteritas superatis omnibus
 hisce obstaculis pacem, animorumque re-
 conciliationem obtinebat, atque ipse
 cum Helvetiis foedus, tot anxiiis a se
 concupitum votis inibat, cuius tamen
 articuli non nisi anno posteriore firmati
 sunt.

Hist. Eccles. Tom. XXIX. li

funt.

Sæcul. XV. sunt. Burgundus compertis omnibus
 A.C. 1474. hisce Ludovici consiliis adversum se con-
 flatis, veneno Regem e medio tollere
 tentabat, ministro ad parricidium selecto
 quodam Juvene, qui Joannes Harditus
 dictus cujusdam mercatoris famulus
 erat; ast constans fides cujusdam regii
 coqui, nomine Collineti, facinus dete-
 xit; Captus igitur Harditus, ac sceleris
 veritatem tormentorum vi confessus, in
 quatuor partes dissectus est, postea cor-
 poris membra ad totidem urbes delata,
 ædesque hujus scelerati solo æquatae
 sunt. Ita Belleforestus: Mayerus ta-
 men hujus criminis suspicionem a Bur-
 gundo amoliri conatur.

Belleforest.

l. 5. c. 137.

Mayer Hist.
Fland. l. 17.

§. XXXV.

*Fridericus secundus Ferdinandi Filius
 in Burgundiam profectus.*

Papiens.
epist. 599.

Hoc anno Fridericus secundo genitus
 Ferdinandi Neapolis Regis Filius in-
 eunte mense Novembri Romam venit,
 inde in Burgundiam profecturus. Huic
 unicus duntaxat Cardinalis tit. S. Petri
 ad vincula Nepos Pontificis obviam pro-
 cessit, eumque ad Basilicam Vaticanam
 conduxit, comitantibus illum de more
 Prælati, & Cardinalium familiaribus.
 Fridericus in Senatum secretum admis-
 sus toto, quo cum Pontifice colloque-
 batur

batur, tempore in genua provolutus per-
 mansit. Inde surgens ad Cardinales sese
 convertit, ac singulos speciatim in eorum
 sedibus positos complexu, & osculo hono-
 rabat. Postera die eosdem domi invisit,
 idemque humanitatis officium ipse vicif-
 sim ab omnibus accepit, excepto solo
 Cardinale S. Sabinæ. Tandem Roma
 abiens, Burgundiæ Ducem accessit, ubi
 usque ad Mensen Junium anni millesimi
 quadringentesimi septuagesimi sexti di-
 versatus est. Quorundam Scriptorum
 conjectura est, Fridericum hoc iter susce-
 pisse eo animo, ut Burgundiæ Filiam
 sibi in uxorem deposceret, sed inane est
 eorum commentum.

§. XXXVI.

*Cardinalis Aquilejensis a sua septen-
 trionali Legatione redux.*

Tandem Cardinalis Aquilejensis a Pon-
 tifice Legatus in Septentrionales
 plagas missus, inde redux hoc anno mil-
 lesimo quadringentesimo septuagesimo
 quarto die decima quinta Novembris Ro-
 mam venit. Triginta menses Legatione
 sua functus, pluribus negotiis distentus
 erat, pacemque inter Hungariæ & Po-
 loniæ Reges reddere conabatur, idque
 non sine magnis laboribus perfecit. Na-
 vabat suam quoque operam in componen-
 dis

Sæcl. XV.
A. C. 1474.

dis diffidiis, quibus Hassiæ Landgravius & Rupertus de Coloniensi Archiepiscopatu contendentes inter se collidebantur, eodemque tempore lites diremit, quæ ex horum æmulatione inter Imperatorem & Burgundiæ Ducem exortæ fuere. Tam gravia negotia Legatum præter expectationem suam diutius in hisce regionibus detinebant: Ast inde eo magis acceptus erat ipsius redivus. Romam delatus in Sanctiore Patrum Senatu a Pontifice hanc in rem convocato de rebus in sua Legatione gestis rationem reddidit, petiitque veniam, quod nec imperio Pontificis, nec Cardinalium expectationi, ut ajebat, plene satisfacisset: Papa, Legati Zelo, ac ejus in Christianam Rempubli- cam amore plurimum dilaudato, simul cum Cardinalibus eidem gratias verbis valde honorificis egit, eumque in laboris sui præmium Prænestino Episcopatu decoravit, quam Sedem tenuit usque ad annum millesimum quadringentesimum nonagesimum, quo etiam beato fine quievit.

§. XXXVII.

Pax inter Hungaros atque Polonos.

In hisce Regnis potissimum hujus Cardinalis laboribus optatus adspirabat successus; Pax enim Hungariæ inter ac Poloniæ Reges feliciter confecta est.
Hujus

Hujus rei Nuntium Aquilejensis exiguo Sæcul. XV.
 post reditum suum tempore velut gratum A.C. 1474.
 Legationis suæ fructum Romæ accepit.
 Ipse Matthias Rex ad Pontificem ac Prin-
 cipes literas dedit, quibus pacem stabilitam
 significat, simulque gloriatur, quod fun-
 ditus Polonorum & Bohemorum copias Bonfin. l. 4.
 delere potuisset, nisi Christianum Regem dec. 3.
 Christianorum etiam si hostium misereri
 decuisset. Forte summa armorum suorum
 fiducia deceptus, rem verbis nimium ex-
 tulit. Certum nihilominus est, Matthiam
 militari experientia, ac assidua armorum
 exercitatione longe præstantiorem fuisse
 Casimiro Poloniae, & Wladislao Bohe-
 miæ Regibus, quorum posterior adole-
 scens erat, adhuc rerum inexpertus.
 His autem conditionibus pax conclusa
 est: Matthias Moraviam & Silesiam Pro-
 vincias, Wladislaus Bohemiam atque
 Lusatiam possideat, & si alteruter abs-
 que liberis decederet, qui vita superstes
 est, universis potiatur, atque interim
 uterque Regni Bohemiæ titulum gerat.
 Legibus hisce utrinque firmatis Wladis-
 laus Pragam revertitur, ubi Hussitæ in
 eum seditionem conflagrant, atque usque
 eo temeritatis devenerunt, ut ipsum Re-
 gno pellere minarentur. Hujus conjura-
 tionis Matthias in suspicionem quodam-
 modo vocabatur.

Sæcul. XV.
A.C. 1474.

§. XXXVIII.

Inania Usumcassani promissa.

*Michou. l. 24.
cap. 70.
Cromer. l. 28*

Venetorum Legatus ad Usumcassanum Regem Persarum missus, in Europam reversus est, unacum aliis ejusdem Regis Oratoribus, qui ceteros Principes, quibus Christianæ Reipublicæ salus cordi esset, adversus Turcas incitarent. Ampla erant horum Oratorum promissa, ac inter cetera Regis sui potentiam admodum jactitantes, eum proximo Vere Mahometis copias cum decies centenis armatorum millibus aggressurum spondent. Offerebant insuper in uxorem uni ex Casimiri Regis Poloni filiis ipsius Usumcassani Filiam, quam ex Catharina Trapezuntini Imperatoris Filia susceperat; sed vana, ac nonnisi grandiloqua Casimiro ea Legatio videbatur; unde Persis his Legatis haud aliud responsum dedit, quam se per suos Legatos Usumcassano responsurum. His dictis, hosce Oratores Romam deduci jussit, ubi non minus ampla jactitabant promissa, sed nec major illis ibidem fides habita est, præcipue, cum ante omnia Regi suo ingentem pecuniarum vim suppeditari, eique imperii Trapezuntini, quod ejus uxori debebatur, dominium promitti postularent. Communior Historicorum opinio

opinio est, quod Usumcassanus nihil ultra Sæcul. XV
 adversus Turcas tentaverit, eoquod præ- A.C. 1474.
 peditus fuisset ab ejus filio natu minori,
 qui seditione mota Patris sui, quem fa-
 tis functum falsus rumor nuntiabat, Re-
 gnum invaserat; hic postquam Patrem
 suum adhuc in vivis esse compererat, cum
 de obtinenda rebellionis suæ venia de-
 speraret, ad Mahometem Constantinopo-
 lin confugit, ab eoque auxiliis adjutus,
 Patrem Regno pellere conatus est; ast
 a Satrapis comprehensus, ob seditionis
 crimen ab ipsomet Patre suo extremo sup-
 plicio mulctatus est.

§. XXXIX.

Venetorum classis adversus Turcas.

Turcæ ampliandi imperii sui aviditate
 stimulati, Scodram Albanicæ urbem
 octoginta millium exercitu cingebant.
 Mocenicus tum in Mondonensi portu
 agebat; sed comperto urbis periculo in
 Albaniam rupta omni mora contendit, ut
 laboranti civitati, in cujus salute maxi-
 mum Venetis momentum erat, prom-
 ptum afferret auxilium; magnam quo-
 que servatæ urbis partem invicto Antonii
 Lauredani Scodrac Præfecti animo, ac
 providæ ejus sollicitudini debebant Ve-
 neti, nec minori fortitudinis laude Ci-
 ves Christiani urbem propugnabant; li-

Sæcul. XV. cet enim graviter aquarum inopia premerentur, tanto tamen impetu, ac magnanimo periculi, mortisque contemptu ex urbe in Turcas effundebantur, ut ferro per hostium agmina sibi viam aperientes, libere aquam advehere potuerint. Tandem etiam Turcæ obsidionem solvere compulsi sunt, desideratis suorum quam plurimis. Mocenicus, qui in hac expeditione nullam impigri Ducis partem omiserat, in patriam reversus, communi omnium suffragio Dux in locum Nicolai Marcelli paulo antea demortui salutatus est; classi autem Antonius Lauredanus cum summa potestate præficietur.

§. XL.

Res Castellæ Regni.

Hoc anno ingens contentio inter Comitum Beneventanum, & Sentillanum Marchionem exorta Regiam Castellæ Curiam in diversa abstraxit studia. Utraque factio ad arma conclamat, & ipse Rex copias suas in aciem educere compellitur, ut pacem inter dissidentes armis revocaret. Villenæ Marchio, postquam in gratiam rediit, Regem ad locum, qui Turrus Julia dicitur, comitatur; sperabat enim, cives Regis sui auctoritate ac præsentia facile ad urbis deditionem adigendos. Ast, cum Gratianus arcis Præfectus

Mariana
lib. 240.

Sabellic. 3.
dec. 10.

Truxillo.

fectus, Regis sui jussis obtemperare recusaret, Henricus loco abire, ac Madritum reverti cogebatur; Marchio tamen interea ad San-Crucem, quæ urbs est secundo lapide a Turri Julia distans, remanebat, ut cum Gratiano de reddenda urbe ageret, quam ille etiam Marchioni restituit, oppido S. Felicis in ejus locum dato, cujus dominium postea Gratianus in magnanimitatis suæ præmium accepit. Adhuc de firmandis concordiae legibus agebatur, cum Marchio ulcere in faucibus aperto, quod demum in hæmorrhagiam degenerabat, e vivis ereptus est. Ejusdem filius provida sagacitate Patris mortem celabat, donec conventa utrinque executioni data essent. Rex, ut circumspectam hujus fidem remuneraretur, eidem omnes Præfecturas, quibus Pater ejus potiebatur, asseruit, adjecta insuper suprema oppidi S. Jacobi jurisdictione.

Sæcul. XV.
A.C. 1474.

§. XLI.

Henrici IV. Castellæ Regis obitus.

Hæc fuit postrema Henrici expeditio; paucis enim post diebus, cum Segobiæ cum Ferdinando Rege & Isabella Infante ambulatum iret, repentinis lateris doloribus corripiebatur: cum vero ad morbi vehementiam nova in dies fieret accessio, quantocius ad Regiam transferri debuit.

Sæcul. XV. debuit. Populus fati novitate percussus,
 A.C. 1474 venenum Regi propinatum fuisse sparge-
 bat, & confestim publicæ preces, solem-
 nesque supplicationes per universum Re-
 gnum pro recuperanda Regis salute de-
 cernebantur. Enimvero laxata non ni-
 hil morbi vi pristinæ sanitatis spes afful-
 gebat: Quare Ministri propitio hoc tempo-
 ris momento utendum rati, Regem ur-
 gent, ut solidam inter ipsummet & Ferdi-
 nandum Arragonium pacem stabiliret, at-
 que Isabellam Infantem Regni sui hære-
 dem scriberet, id justum æquumque esse
 affirmantes. Verum nullis eorum preci-
 bus ad hoc adduci poterat; unde ingens
 animorum dissensio, ac creberrimæ ex-
 ortæ sunt turbæ, quarum agitatione mor-
 bus adeo ingravescebat, ut Rex Madri-
 tum reverti compulsus, ibidem die Do-
 minica undecima Novembris animam
 Deo redderet, anno ætatis suæ quadra-
 gesimo quinto, Regni vigesimo primo.
 Nullum equidem solemne conscripsit te-
 stamentum; morti tamen proximus a
 Sacerdote, quem a confessionibus habe-
 bat, interrogatus, quem sibi successorem
 nominaret, respondit, se Joannam, velut
 legitimam filiam suam agnoscere, illi pro-
 in Regnum & diadema relinquere. Ve-
 rum hæc declaratio tantum efficere non
 poterat, ut Hispanis persuasum esset,
 quod Joanna legitima Henrici filia fuerit.
 In

In ejusdem laudes plurimum excurrit saecul. XV.
A.C. 1474.
 Rodericus Santius Palentiae in Hispania
 Episcopus, qui etiam in hujus Regis obitu
 historiam suam absolvit. Hunc postea
 Paulus II. Castrum S. Angeli Romae Prae-
 fectum creavit.

§. XLII.

*Diffidium in Castella de Successione
Isabellae.*

Rege Henrico fati functo, atroci bello
 flagrabat Castella. Eo tempore Isa-
 bella Segobiae agebat, quam honorandi
 studio adibant Cardinalis Hispaniae, Al-
 fonsus Henriquez summus militiae apud
 Castellanos Praefectus, Sentillana Mar-
 chio, Dux Albenfis, Regni Connestabilis,
 Cueva Albuquerqueii Dux, Comes de Tre-
 signo, pluresque alii, qui omnes Isabel-
 lam tanquam Castellae & Legionis Re-
 ginam venerabantur. Nec segnius pri-
 mariae Regni urbes suos ad eam able-
 gant Oratores, qui submissionis ac obse-
 quii homagium deferrent. Ex altera
 parte Villena Marchio Pacheconis filius,
 Anevalensis Dux, Rodericus Tellez, Co-
 mes de Aregna, & magnus Calatravae
 Magister Joannam velut Reginam salu-
 tabant. Ferdinandus, qui tum cum Pa-
 tre suo Caesar Augustae haerebat, vix
 com-

Sæcul. XV. comperto Henrici leviri sui obitu, protinus Segobiam venit, ut uxoris suæ jura tueretur.

§. XLIII.

Ordinum comitia; necnon Ferdinandum inter & Isabellam conventa.

Magna inter Proceres animorum contentione agitabatur quæstio, an Ferdinandus proprio vel non nisi uxorio nomine tanquam Isabellæ maritus in Regno Castellæ succederet. Hanc in rem coguntur Ordinum comitia, ubi inter Proceres conventum, foeminas e linea recta descendentes jure successionis potiores esse masculis lineæ collateralis, idque antiquis, crebrisque hæreditatis foemineæ exemplis comprobarunt. Nilominus Isabella, ut suum in Ferdinandum amorem, ac sinceram cum conjuge suo unionem luculento demonstraret argumento, gratum, ratumque habebat, ut Ferdinandus sibi in regiminis consortium adscisceretur, ac deinceps in Regiis tabulis, edictis, ac monetis prius Ferdinandi, dein Isabellæ nomen exprimeretur, atque in gentilitio Castellæ scuto Arragoniæ insignia adjungerentur; præterea sancitum, ut Isabellæ nomine omnes Castellæ arces obtinerentur, ac quæstores vectigalia administrarent; beneficia

beneficia ecclesiastica ad Reginae voluntatem sub utriusque nomine conferrentur, Sæcul. XV.
A.C. 1474.
populi ab ambobus, quando in eodem loco morantur, jus sibi dici peterent; si vero separati agunt, quo loco alteruter esset, suo quisque nomine justitiam administraret. Cunctis ita compositis Regni Proceres animum adjecerunt ad tollendos quosdam abusus, qui tam in justitiæ, quam ærarii regii administratione sub priori regimine irreperant. Præterea solemnem decernunt legationem ad Ludovicum XI. Galliarum Regem, ut avita amicitiae fœdera innovarentur, simulque Ruscinonensis Comitatus restitutio peteretur. Verum Rex, cum pro temporum ratione privatis semper commodis suis intentus esset, non solum Legatorum petito surdas præbebat aures, sed etiam adhuc alias urbes sibi subjicere animo agitabat, cum interea Ferdinandus & Isabella, ut solium suum firmarent, solliciti intestinis tumultibus agitantur.

§. XLIV.

Simeon Græco Patriarchatu Constantinopolitano exutus.

Ad finem hujus anni revocanda censetur expulsio Simeonis Græci Patriarchæ Constantinopolitani, qui cum Patriar-

Sæcul. XV. triarchalem Sedem vix triennium & paulo amplius tenuisset, iniquis artibus Raphaelis Serviæ Monachi inde pulsus est; Hic enim pro solo ingressu quingentos aureos nonnullis Turcici Imperii Proceribus, ac quotannis pro tributo duo aureorum millia pollicitus erat. Hanc conditionem Mahometes lætanter acceptat, moxque Simeonem Sede dejici jubet, atque in ejus locum Raphaelem subrogat, quanquam hic rudis, & linguæ græcæ penitus ignarus, adeo ebrietati ac crapulæ deditus esset, ut nunquam sobrius, semper temulentus a vino conspiceretur. Unde cum omnium in se odium concitasset, paucissimi Episcopi inaugurationi ejus intererant, & Sacerdotes non nisi metu coacti in sacris obeundis ei communicare sustinuerunt. Transacto tandem uno Sedis anno, cum promissum tributum, unde solveret, non haberet, rejectus in carcerem est, ex quo prodeundi facultatem unice obtinebat, ut stipem pro tributi solutione ostiatim mendicare posset, catenna ferrea, & Turcarum satellitio cinctus. Brevi tamen indignus hic Patriarcha misere vitam exiit.

§. XLV.

Solemne Jubilæum Romæ celebratum.

In vigilia Dominicæ Nativitatis Romæ datum

datum est initium sacro anno, cujus festiuitatem summus Pontifex ad annum Christi millesimum quadringentesimum septuagesimum quintum indixit, & imposterum semper post emensum viginti quinque annorum spatium celebrari voluit. Fidelium, qui Romam ad consequendam peccatorum veniam concurrere solent, longe major fuisset frequentia, nisi Francia, Anglia, Hispania, Hungaria, & Polonia bello flagrascent.

Sæcul. XV.
A.C. 1474.

Ciacon. &
Onuphr. in
Sixto IV.
Victorel. in
Jubil. 7.

§. XLVI.

Equus phaleratus in tributum pro Regno Neapolis Pontifici oblatus.

Inter omnes, qui Romam petebant, emi-
nuit Ferdinandus Neapolis Rex, cui Pontifex suam ut demonstraret benevolentiam, annum censum Ecclesiæ Romanæ debitum remisit, ea tamen lege, ut ad singulos annos album offerret *Asturconem*, ita vocant equum album phaleris, ceterisque instrumentis ornatum, & hunc quidem daret tributum nomine, quo hujus Regni dominium Sedi Apostolicæ beneficiario jure proprium acceptasse profiteretur. Hæc solemnitas ad hunc usque diem celebrari solet, vocaturque a Romanis *la China*, seu equi phalerati donatio, quem in vigilia, aut ipso die festo SS. Apostolorum Petri & Pauli

Sæcul. XV. Pauli Regis Legatus Pontifici quotannis
A.C. 1474. offert.

*Palmerius
in Chron.*

Nonnullorum Scriptorum opinio fuit, venisse Ferdinandum Romam sub specie quidem Jubilæi; re ipsa tamen hoc obtentu usum, ut fœdus inter Venetos, Mediolanensium Ducem, & Florentinos initum solveret. Id quoque postmodum factum fuisse constat. Ceterum ad anni sancti solemnitatem pariter Romam adiiit Catharina Bosniæ Regina quadraginta equitibus stipata, Hanc Pontifex summis honoribus excepit, eidemque omnes, quoscunque demum fecerat, sumptus liberaliter suppeditavit. Referunt Scriptores, quod hæc Regina usque ad obitum suum Romæ substiterit. Sacra etiam limina Apostolorum visitabat Rex Bosniæ & Walachiæ, licet senio confectus esset: an vero id hoc ipso jubilæi anno fecerit, ignoratur. Advenit quoque Carolina Cypri Regina. Concessit quoque Sixtus Papa idem Jubilæum Castellæ Regi, atque Reginae, aliisque Principibus Romanam adire præpeditis, addita tamen conditione, ut nonnullas visitarent Ecclesias, aliaque pietatis opera ab ipso præscripta exercerent.

§. XLVII.

§. XLVII.

Sæcul. XV.

A. C. 1475.

*Vaiivoda Moldaviae victoria de
Turcis.*

Cum Mahometes cum ingenti exercitu *Michov. l. 4.*
centum viginti millium Turcarum *c. 70.*
Moldaviam invasisset, Vaiivoda seu Pala- *Croner. l. 28*
tinus, licet nonnisi quadraginta circiter
millia armatorum haberet, hosti suo ob-
viam processit. Toto mense Januario
frequenti decertabatur prælio, Turcis
semper devictis, adeo, ut eorum exerci-
tus licet numero præstantissimus esset,
magna clade prosterneretur, quatuor Bassis
seu belli Præfectis in hac pugna desidera-
tis, ac vexillis centum, & amplius amissis.
Moderate admodum hujus victoriæ gloria
Vaiivoda utebatur, solique Deo acceptam
referens, totum deinceps quatrimum ab
omni præter panem & aquam alimento
abstinuit, ac Summo Pontifici, necnon
Poloniæ & Hungariæ Regibus spoliis ab
hoste occupati partem submitit. Sub *Bonfin. 4.*
idem ferme tempus Turcæ Naupactum *dec. 3. in fine.*
urbem triginta armatorum millibus cin- *Michov. c. 71*
gunt, obsessosque continuis irruptionibus
solidis octo mensibus lacessunt, tandem
vero a Lauredano Venetorum Præfecto
obsidionem solvere compulsi, recta ad In-
sulam Lemnos contendunt, eandem op-
pugnaturi. Cum vero nihil propius esset,
Histor. Eccles. Tom. XXIX. Kk quam

Secul. XV.
A.C. 1475.

quam ut obsessi hostium impetus sustinendo impares succumberent, idem Lauredanus opportuno auxilio occurrit, eosque pulsas Turcarum copiis periculo exemit. Ferunt tamen, præcipuam servatæ hujus Insulæ partem deberi cuidam puellæ Marullæ nomine; illa enim nova hujus ævi Heroïna, Janiffaris jamjam in urbem erumpentibus, cæsoque ante oppidi portas Patre suo, protinus armata accurrit, & per medios enses in Turcas tam virili audacia irruit, ut obsessi puellæ fortitudine accensi, restaurato prælio barbaros in fugam agerent, urbemque liberarent, Turcarum plurimis trucidatis.

§. XLVIII.

Cassa a Turcis capta ex Genuensium culpa.

Mahometes propter acceptam cladem de furore suo adeo nihil remittebat, ut etiam Crojam urbem obsidione premeret; prima hujus expeditionis auspicia Christianis secunda fluebant; quippe jamjam duo castra ad cingendam urbem a Turcis erecta occupabant. Ast prædæ aviditas Victores vicit; Turcæ enim prius fuga dilapsi, dum Venetos magis spoliis quam periculo intentos, ac soluto militari ordine hinc inde dispersos cerunt, auctis certatim viribus, omiffam antea

antea pugnam restaurant, ac Christianos profligant; Frustra Contarinus Albaniae Gubernator dissipatas suorum copias colligere conatur, imo & ipse post diuturnum, & acre certamen occumbit. Præterea paulo post Turcæ ex insidiis capiunt urbem Caffa, quæ Theodosia olim dicta, in Tartaria minori ad pontum Euxinum ex parte veteris Bosphori seu Freti Cimerii sita erat. Hanc Genuenses in sæculo tertio decimo, tempore sacrae expeditionis, ac Imperii Orientalis ad interitum declinantis suo subjecerunt dominio. Ibi proximus erat portus totius Euxini Ponti longe celeberrimus, ac Genuensibus admodum proficuus; stationem enim habebat non minus commodam, quam nautis tutissimam, unde inter omnes maris nigri portus emporium merito celebratur, mercaturæ opportunitate longe præstantissimum. Ast tot commodorum jacturam Genuenses adscribere debebant partim avaritiæ quorundam ex ipsis, partim perfidiæ cujusdam Gubernatoris, quem ibidem Tartarorum Rex Genuensibus foedere junctus constituebat; cum enim præfatus Gubernator, qui multa prædia in hac insula possidebat, ac jam antea cum valida Tartarorum manu urbem obsidebat, impensius peteret, ut ei Mahometes novas militum suppetias submit-

Sæcul. XV.
A.C. 1475.

Foliet. l. II.

Papiens.
epist. 641.

Leunclav.
Pand. Turc.
c. 147.

Sæcul. XV. mitteret, quantocius Sultanus Achmetem Bassam cum classe quingentarum fere navium, quæ pro Cretensis Insulæ expugnatione fuerant instructæ, eo contendere iussit. Obsessi hinc Turcarum copiis arctius undique cincti post paucorum dierum obsidionem urbis deditionem facere compelluntur, capto etiam ipso Tartarorum Rege, qui unacum duobus suis fratribus, ac nonnullis Genuensibus nobilitate inclytis ibidem inclusus erat. Hi omnes unacum præcipuis urbis civibus Constantinopolim captivi abstraherentur, ac demum tota illa regio in Mahometis potestatem redigebatur. Horum fatale fatum ingentem Polonis incussit terrorem, indeque totus, qua late patet, Oriens innumeris tumultibus ardebat.

§. XLIX.

Avenionensis Ecclesia in Metropolitanam erecta.

*Naugier.
Hist Eccl.
Avenion.
S. Marth.
Gallia Christiana.
Bouche hist.
Provins.*

Ad hunc quoque annum revocari posse videtur Avenionensis Ecclesiæ in Metropolitanam erectio a Sixto IV. Pontifice facta, qui eidem Carpentoractensem, Cabillonensem, & Vasionensem Episcopos in Suffraganeos dedit. Olim hæc urbs sedes erat Episcopalis Arelatensi Archiepiscopo subjecta, ubi celebre erat Capitulum, cujus Canonici Anno

Anno Domini millesimo nonagesimo sex-
to præsentè Urbano II. summo Ponti-
fice Regulam S. Augustini profitebantur;
anno autem supra millesimum quadrin-
gentesimo octogesimo primo a Sixto IV.
ad sæcularium Clericorum statum redu-
cebantur. Eorum Ecclesia Metropolita-
na sub invocatione B. V. M. exstructa
tam vetustate, quam magnificentia cele-
bris primum illius Episcopum veneratur
Sanctum Rufum: Primus vero illius Ar-
chiepiscopus erat Julianus de Ruverre,
qui postea summus Pontifex creatus no-
men Julii II. assumpsit, ac ibidem sequen-
ti anno millesimo quadringentesimo se-
ptuagesimo sexto die vigesima secunda
Mensis Augusti Collegium condidit, quod
ab ejus nomine Ruverreum nuncupatur.

Sæcul. XV:

A.C. 1475.

§. L.

*Alphonsus Lusitanæ Rex jurium
Joannæ Castellanae vindex.*

Hoc anno Castellæ Regi, ac Reginae a-
trocissimum imminebat bellum ad-
versus fautores Joannæ, quam Henricus
ejus Pater morti proximus hæredem di-
cebat. Villenæ Marchio, cum probe in-
telligeret, Isabellam jure suo in Castellæ
Regnum nullo pacto potituram, nisi cu-
jusdam exteri Principis potentia, atque
auctoritate suffulta esset; hinc Alphonsi

K k 3

Lusita-

Sæcul. XV. Lusitanæ Regis, qui Joannæ Avunculus erat, auxilium implorabat, spe facta, si illam sibi in uxorem seligeret, Castellani imperii coronam ad eum devolvendam. Alphonfus, quæ ultro offerebantur, acceptare haud recusat, atque ad Ferdinandum & Isabellam Legatos mittit, qui Castellani ac Legionense diadema repeterent; illud vero reddere nolentibus bellum nuntiarent. Ad hæc Ferdinandus & Isabella juncto consilio, animoque ad arma descendunt, & Rex veterem Castellam unacum Legionensi regno, Isabella vero suppetiis Albensis Ducis, & Toletani Infantis aucta Vandalitiam & Murciam tuendam suscepit.

§. LI.

Alphonfus Joannæ desponsus Rex Castellæ proclamatus.

Mariana.
l. 24.

HIS ad bellum interea animum intendentibus, Villenæ Marchio Joannam ad urbem Placentiam comitatus est, & Alphonfus, qui ibidem jam antea advenerat, summo Pontifice propinquitatis impedimentum relaxante Joannam sibi despondet, & demum vi juris, quod ejus sponsa in regnum habebat, Rex Castellæ salutatur. Hic confestim cum quatuordecim peditum, ac quinque millibus equitum ad urbem, quæ Paxaugusta dicitur, proce-

procedit, indeque Tironem venit, ubi unacum Sponfa sua ultro exceptus est. Eodem fortunæ cursu Senticam, Pennafielam, & Bultanaciam urbes suis subjecit armis, Comite Beneventano, qui eum aggressurus accurrerat, in captivitate abstracto.

§. LII.

Sentica iterum capta, irritusque Ferdinandi conatus adversus Septam.

Cum Alphonfus Senticæ otiosus hæret, urbis Gubernator, quem ibidem constituebat, per summam perfidiam faventibus noctis concubiæ tenebris Ferdinandi copiis liberum urbis ingressum concessit. Hæ Lusitanos ingenti cæde prosternuit, ipsumque Lusitaniz Regem præcipiti fuga Tironem reverti compellunt; cum vero Joannes ejusdem Filius paucis post cladem diebus integram atque recentem militiam adduceret, uterque junctis viribus Senticam redintegrata obsidione premere aggrediuntur, irrito licet conatu. Interea Ferdinandus hostem alio avertere intentus, copias quasdam in Africam decernit, quæ Septam urbem expugnarent. Castellani, cum vix appulsi jamjam Mauros terra urbem tormentis quaterne cernerent, ipsi

Kk 4 etiam

Sæcul. XV.
A.C. 1475.

Sæcul. XV. etiam eandem mari oppugnare aggrediuntur. Attamen Mauri haud temere veriti, ne capta Septa novum ipsis adversus Victores bellum ingrueret, per urbem transeundi copiam a Governatore postulant, polliciti, se toto impetu Castellanos exercitum a tergo aggressuros. Hac conditione a Governatore minime acceptata, Mauri pedem referunt, ac ipsimet Castellani demum sese recipere coacti sunt, quam plurimis suorum desideratis.

§. LIII.

Galliarum Regis foedus cum Helvetiis.

Sub idem tempus Galliarum Rex cum Helvetiis foedus inibat. Illius articulos ipsimet Helvetii instruxerunt, atque inter eos hi tres præcipui erant. I. Hoc foedus nonnisi decennio persistat, nisi saltem illud prorogare utrique parti bene visum fuerit. II. Sex millium aureorum pensio cuilibet Pago quotannis a Ludovico solvatur, & Helvetii semper pro certo stipendio tot milites, quot Regi opus essent, suppeditent. III. Hujus gentis Viri nunquam contra suos foederatos dimicare, aut urbium vel propugnaculorum obsidiones suscipere compellantur. Foedere utrinque firmato Rex Hel-

Helvetiis exposuit, se Sigismundo pristinam Ferretani Comitatus possessionem asserturum. Hi Regis consilium sibi gratum ratumque haberi respondebant, ea tamen lege, ut Sigismundus recuperato Comitatu illis perpetuam, liberamque facultatem concedat, ut per quatuor ejusdem Comitatus civitates, quodocunque ipsis vel armatis vel inermibus placuerit, transire valerent. Equidem Austriae Dux huic conditioni acquiescere renuebat, nihilominus se totum Ludovici XI. Regis arbitrio commisit, ejusque hortatu eandem tandem acceptavit.

Sæcul. XV.

A C. 1475.

§. LIV.

Ferretanus Comitatus ab Helvetiis occupatus.

Helvetii ad recuperandum Comitatum tanta celeritate animum adjiciebant, ut intra unius noctis angustias parata haberent omnia; hinc cum inopinatus esset eorum adventus, & nemo propemodum obsisteret, brevi Comitatum in suam potestatem redegerunt, ipso Governatore, quem Burgundus præfecerat, capto unacum octingentis præsidiariis militibus, quos tamen Helvetii nullo ab eis exacto redemptionis pretio paulopost liberos dimittebant: Governatorem autem capite plectebant, ut hostiles incursiones, quibus

K k § olim

Sæcul. XV. olim eorum terras depopulabatur, ul-
A.C. 1475. ciscerentur. Inde cum exercitu suo Bur-
 gundiæ Comitatum invadunt, & Bla-
 montium atque Hericuriam urbes occu-
 pant, necnon fuso fugatoque milite pro-
 vinciali, hostium more agros foede de-
 vastant. Præterea Ludovicus, indu-
 ciis Franciam inter & Burgundiæ Ducem
 exeuntibus, cum altera exercitus sul-
 parte in Burgundiam movit, ipsumque
 Rouffy
 Tronquoy
 Russinii Comitem hujus Provinciæ Gu-
 bernatorem Connestabilis S. Pauli filium
 haud procul a Grajo urbe profligavit, ca-
 ptumque abstraxit. Reliqua Gallici ex-
 ercitus pars Tronquejam, Montem-de-
 derii, Raugam & Corbejam urbes pro-
 spero Marte expugnavit, & usque ad A-
 trebatensis civitatis mænia penetravit,
 ibidemque omnes equestres copias in-
 cautius urbe erumpentes, ac longius ab-
 reptas cepit. Commissum est hoc præ-
 lium die vigesima Junii, cujus victoriæ
 magna pars Combrondio, Viro rei milita-
 ris scientia præstantissimo debebatur.

§. LV.

*Novesii obsidio a Burgundo
 soluta.*

Interea Burgundiæ Dux Novesium con-
 tinuo obsidebat, certa spe concepta, il-
 lius deditionem jamjam proximam esse,
 eoquod

eoquod Imperator ac Germaniæ Princi-
 pes urbem obsidione liberare frustra ni-
 terentur. Cum ergo Dux in Novesii Sæcul. XV.
A.C 1475.
 expugnatione gloriæ ac famæ suæ
 summam verti existimaret, inde non
 nisi capta urbe recedere statuit. Atta-
 men Anglorum importunitas Burgundi
 consilia penitus evertit; hi enim jam du-
 dum in Franciam, prout Burgundo pro-
 miserant, exscensionem parabant, sed hu-
 cusque ab ipso Duce rem differre roga-
 bantur; nunc autem, cum dui, frustra
 tamen Burgundi adventum præstolaren-
 tur, ulteriorem moram pertæsi, eidem
 significarunt, se quantocius classem con-
 scensuros, siigitur Caleti, exscensione fa-
 cta, illum adhucdum obsidione Nove-
 siensi distentum comperturi essent, omni
 cunctatione remota in patriam reversu-
 ros: Burgundus, quid consilii caperet,
 dubius hæsit, hinc certa proximæ victo-
 riæ spe plectus, illinc gravi, ne Angli
 foedus rescinderent, metu agitato. Vi-
 cit tamen pacta cum Anglis amicitia, un-
 de Burgundus eo unice curas intendit,
 ut honesto quodam obtentu obsidionem
 solvere posset; Opportuno etiam accidit
 tempore, ut Sixtus IV. Pontifex Ma-
 ximus Alexandrum Forolivii Episcopum
 legatum decerneret, qui pacem inter
 Ducem, atque Germanos conciliaret; hic
 litigantibus auctor erat, controversiæ in-
 ter

Sæcul. XV. ter Hermanum Principem & Rupertum ob
A.C. 1475. Coloniae Archiepiscopatum exortæ deci-
 sionem Sanctitati suæ velut arbitro esse re-
 linquendam, ac Novesium urbem quanto-
 cius Alexandro tradendam, ut illam usque
 ad exitum causæ servaret. Placuit ut-
 riq; Legati consilium, quare nulla mo-
 ra uterque exercitus castris suis exces-
 sit, Burgundi copiis Lotharingiam ver-
 sus contendentibus.

§. LVI.

*Bellum Galliarum Regi ab Anglis
indictum.*

*Comin. l. 4.
cap. 4.*

Angli re comperta protinus naves con-
 scendere parant, Caletum appulsuri,
 Rex tamen Eduardus, antequam Anglia
 excederet, fecialem nomine Jartierum
 præmisit cum literis ad Ludovicum XI.
 Galliarum Regem, quibus regnum Fran-
 ciæ suum esse, proin sibi reddi postula-
 bat; sin vero recusaret, bellum denuntia-
 bat. Ludovicus remotis arbitris perle-
 git epistolam, ac paulo post Fecialem ad
 se venire iussit, eidemque hæc verba di-
 xit: mihi haud quaquam incognitum
 est, quod Angliæ Rex a Burgundiæ &
 Britanniae Ducibus, necnon a Connestabili
 Franciæ sollicitatus hanc expeditionem
 susceperit: nihilominus mihi persuasum
 est, quod classis ejus, cum tempestas jam-
 jam

jam longius in Autumnum procurrat, & Sæcul. XV.
A.C. 1475.
Burgundi vires annali Novesii obsidione
attritæ sint, haud magnos ausus amplius
efficere possit: Connestabilis vero, ut novo
bello Franciam opprimeret, viribus lon-
ge impar est: insuper hic nonnisi pacis
turbator, fallax & subdolos homo, alio-
rum gratiam aucupatur, amicos sibi con-
ciliat, atque ab omnibus timeri unice
exoptat, postremo tamen ad illius castra,
in quo ampliorem privati sui commodi
quæstusque spem sibi pollicetur, transire
paratus est; nil familiarius habet, quam
nunc horum, mox aliorum partes sequi,
omnium vero crumenas exhaurire prima
illius cura est, ut demum ipse solus cum
aliorum dispendio ditescere possit.

§. LVII.

*Fecialis Regis Angliæ ad Ludovici
partes pertractus.*

Plura alia Ludovicus dicebat, Fecialem Commin. ibid.
Anglum inducturus, ut Regem suum
ad pacem cum Gallis ineundam permo-
veret: Nec leve etiam verbis suis mo-
mentum adjecit, dum Jartierum trecen-
torum aureorum dono, ac triginta ulnis
amphimalli rubro colore tincti munere
auxit, spe facta, se eidem pace firmata,
insuper mille aureos donaturum. Regi
Jartierus reposuit, se quidem minime suis
parti-

Sæcul. XV.
A. C. 1475.

partibus defuturum, ut Franciam inter & Angliam pax redderetur, opportunum tamen tempus exspectandum fore, donec Rex ejus Dominus mare trajecisset; exscensione autem facta, protinus fecialem esse ablegandum, qui pro Legatione ad Eduardum Regem decernenda publicæ fidei literas impetraret. Nec tamen primo Regem adeundum esse, sed ante omnia Hawarti & Stanlaji opera utendum; ad horum enim præscripta rem a Feciali Gallo esse pertractandam. Placuit Ludovico consilium, quare Comminæo negotium dedit, ut hunc Eduardi deputatum, præcisa cum quocunque alio seorsim conferendi copia, ipse solus familiari colloquio atque obsequio semper fovere studeret, donec is adlectis viæ sociis in Angliam deduceretur.

§. LVIII.

Regis Angliæ adventus Caletum.

Interea Rex Angliæ Dubri Caletum trajecit, ac trium hebdomadarum iter confecit; quamvis hæc urbes non nisi septima inter se leuca distarent. Hunc advenisse, cum Burgundus intelligeret, protinus eum convenit, paucis duntaxat Nobilibus stipatus; hanc ob rem remissius & nullo ferme sermone ambo sese mutuo salutabant, eoquod Angli Burgundiæ

gundiæ Ducem cum valido exercitu ad-
 futurum sperassent. Dux Eduardo hac
 de re gravius conquerenti respondit,
 copias ad imperii sui nutum præsto fu-
 turas, in Lotharingiam interim missas
 esse, ut impensis hujus Ducis, a quo ad
 bellum provocatus esset, vires resume-
 rent; hoc dicto ambo primum Bonno-
 niam, demum Peronnam progressi sunt,
 ubi Eduardo Regi, atque Burgundiæ Du-
 ci Nobilis de Crevilla, nomine Conne-
 stabilis S. Pauli prosperum adventum
 gratulabatur.

§. LIX.

*Connestabilis oppidum S. Quintini
 Anglorum Regi cedere polli-
 citus.*

Ibidem Crevilla Regi ac Duci hæc si-
 gnificabat; Connestabilis Dominus
 meus oppidum S. Quintini nondum resti-
 tuit; id enim iniquissimo factum fuisset
 tempore, eoquod clandestina, quæ cum
 Galliarum Rege fovet, consilia in ore &
 oculis omnium fuissent; cum vero An-
 glorum copiæ jamjam advenerint, Con-
 nestabilis adeo considerate, ac circum-
 specte cum Ludovico Rege haud amplius
 aget, sed quantocius, si Burgundo bene-
 visum erit, oppidum S. Quintini Eduar-
 do cedit. Posthæc Crevilla Burgundiæ
 Duci

sæcul. XV.
 A. C. 1475.

Sæcul. XV. Duci literas Angliæ Regi inscriptas tradidit, in quibus Connestabilis Eduardum impense rogat, ut in omnibus, quæ ei Burgundus suggereret, aut sponderet, haud difficilior esset ad credendum, ac si eadem ex proprio Connestabilis ore perciperet.

§. LX.

Rex Angliæ aditu prohibitus.

Eduardus ampla hac securitatis fiducia delusus, concordi cum Duce opera consiliove exercitum suum ad urbem S. Quintini promovet, certa sibi spe facta, se ad primum adventus sui nuntium apertis undique portis exceptum iri. At tamen Connestabilis Eduardo urbis aditum adeo non concessit, ut etiam primos Anglorum ordines, cum urbi appropinquarent, excussis tormentorum globis peteret, ac præsidario milite in eos erumpente, quadringentos ac ferme Anglorum quingentos trucidaret. Eduardus hanc contumeliam gravissime ferens, perfidiæ a Connestabili perpetratæ rationem a Burgundo reposcit, ac vix non eundem hujus indigni facinoris conscium postulat. Dux nil intentatum relinquit, ut Connestabilem culpa liberaret. Ast cuncta, quæ in ejus favorem attulit, rationum momenta non nisi latentis doli metum

metum in Anglorum animis auxerant, saecul. XV.
A. C. 1475.
ipse etiam Burgundus sub idem tempus
novam conceptæ contra se diffidentiae
materiam suppeditavit, ac suspicionem
præbuit, se ab Anglorum partibus defe-
ctionem moliri, eoquod præcipiti consi-
lio in Lotharingiam profectus, Regique
valere jusso pollicitus esset, se ex hac Pro-
vincia copias suas revocaturum.

§. LXI.

*Famulus vestibus Fecialis indutus a
Ludovico ad Eduardum missus,
de pace acturus.*

Exiguo post tempore hujus rei fama ad
Ludovicum Galliarum Regem delata
est, atque rumori fidem addidit confessio
cujusdam famuli, qui olim ab obsequiis
cujusdam ex Proceribus Regiis ab An-
glis interceptus, in Gallias redire jussus
est. Hunc Ludovicus primo explorato-
rem esse credebat, demum veto ab eo to-
tam rei summam penitus edoctus est.
Ergo opportunum advenisse tempus cre-
debat, quo consilia sibi ab Eduardi Regis
Feciali data exequeretur; quapropter
Philippo Comminæo injunxit, ut Halleſi
seu de Sallesii, qui Merichonis de Rup-
pella filius erat, famulum conquireret,
ab eodemque exploraret, an sub alieno
Fecialis habitu personatus Ludovici no-
Hist. Eccles. Tom. XXIX. L1 mine

Sæcul. XV. mine Regem Angliæ adire auderet. **Com-**
A.C. 1475. minæus iussa exequitur; ast primo hujus
 famuli conspectu suspensus hæret, eum-
 que ad gerenda tanti momenti negotia
 omnino ineptum suspicatur; hunc ta-
 men juvenem Rex, licet non nisi unico
 eoque brevi sermone illius experimentum
 fecisset, acri iudicio, & humanissimis iux-
 ta ac blandis moribus præditum, pro
 ad subeundam hanc provinciam sat ido-
 neum iudicabat. Magna Famulum te-
 nuit rei sibi propositæ admiratio, & qua-
 si exanimis ad Comminæi pedes corruit;
 ejus tamen animus brevi erectus est am-
 pla auri pollicitatione, atque spe officii,
 quo tributis in Rea Insula describendis
 præficeretur. Ergo Galliarum Regis
 conspectum subit, vestibus Fecialis induit-
 tur, ac mandatis instructus in Angliam
 proficiscitur.

§. LXII.

*Pax Anglorum Regi a Feciali
 proposita.*

Famulus iste ementitus fecialis habitum
 ad Anglorum castra pervenit. Ast mox
 comprehensus ad tentorium Regis duci-
 tur, quî genus, unde domo, quid negotii
 haberet, interrogatus, se a Ludovico XI.
 missum respondit, ac multa, quæ Anglo-
 rum Regi referret, habere, sibi que injun-
 ctum

Sæcul. XV.
A.C. 1475.

ctum esse, ut cum Hawarto ac Stanlajo conferret. Rege tum prandente, fecialis quoque convivio excipitur, quo finito Regi sistitur. Non equidem demandatam sibi provinciam scripto tenebat; nihilominus consiliis ad negotium idoneis plene instructus, mira prudentia eloqui cæpit, declarans, Ludovicum Galliarum Regem a primis Regni sui auspiciis nil antiquius habuisse, omnique sollicitudine curasse, ut solida, constansque inter utrumque potentissimum Galliæ & Angliæ Regem pax & concordia firmaretur, hucusque tamen irrita fuisse omnia ejus consilia, vanosque conatus; nec tamen ipsum propterea a proposito adeo christiano recessurum, equidem eum quondam Varvicensi Comiti tutum in Regno suo asylum concessisse, id tamen non tam ex odio in Eduardum, quam in Burgundiæ Ducem, cui Comes acerbissime juxta ac gravissime adversaretur, factum fuisse; additque, Burgundum non alio ex fine in Franciam Anglos evocasse, quam ut a Ludovico pacem privatis suis commodis magis opportunam extorqueret, de cetero nec Britanniæ Ducem, nec Connestabilem magis sincero amicitiae sensu Anglis favere. Si vero Eduardus seditiosos Gallos in suam fidem acciperet, facile ejusmodi exemplo Regem Christianissimum inductum iri, ut &

Ll 2

ipse

Sæcl. IV. ipse Angliæ rebelles, ac Lancastrienſis
A.C. 1475 factionis capita ſuo muniret præſidio;
 inde vero Angliam longe gravioribus,
 quam hucusque in Francia eſſent, tumultibus involvi poſſe. Jam aliunde Eduardum tantis, tamque profuſis ſumptibus exhaustum eſſe, ut eos ſibi a ſuis foederatis unquam compenſari, vix ulla ſpes ſupereſſet; Burgundiæ ac Britanniæ Duces Eduardo, poſtquam eum affiduis, tamque validis precibus ad tentandam in Gallias irruptionem induxiſſent, datam ſefelliſſe fidem, nec Eduardum poſthac ſanctioris fidelitatis religionem de eis ſperare poſſe. Tandem ſubjunxit, ſi cuncta hæc momenta juſta & æqua haberet Eduardus, Ludovicum XI, quantum in ipſo eſſet, ad componendam pacem primas acturum partes, ac de loco, ubi utriusque Nationis Deputati convenirent, communi conſilio conſultare, illum omnino paratum eſſe.

§. LXIII.

Pacis conſilia a Rege Angliæ acceptata.

Commin. l. 4. **C**um Senatus Anglicus cuncta a Feciali proſeſſa
 6.7. li proſeſſa unanimi conſilio rata haberet, quantocius pro Deputatis utrinque publicæ ſecuritatis literæ dabantur, atque utriusque Regis Oratores altera poſt acceptas

ceptas hasce literas die in quodam op-
 pido prope Ambianum congregiebantur. Sæcul. XV.
A.C. 1475.
 Aderant Ludovici XI. nomine Borbonius
 Nothus supremus Gallicæ classis Præfe-
 ctus, Admiralis, Sanpetrius, & Ebroi-
 censis Episcopus, qui Herberga vocaba-
 tur. Pro Angliæ Rege accesserant Ha-
 wartus, alius quidam nomine Chalan-
 gerus, & Mortonus Doctor, qui postea
 Angliæ Cancellarius, & Cantuariensis
 Archiepiscopus renunciatus est. Sub pri-
 mis congressus auspiciis Angli quasdam
 pacis condiciones præscribebant extra
 modum superbas, ac inter ceteras Eduar-
 do totum Galliarum Regnum, aut sal-
 tem Aquitanniam & Normanniam resti-
 tuti petebant.

§. LXIV.

*Articuli pacis Gallias inter & An-
gliam.*

Ast Angli, utroque Rege pacem impen-
 sius peroptante, brevi ad mitiora de-
 scendebant consilia, & inter præcipuas
 concordiaæ leges utrinque sancitum, ut Lu-
 dovicus in Anglici exercitus stipendium,
 ac belli sumptus Angliæ Regi septuaginta
 duo aureorum millia numeraret; vicissim
 Delphinus Franciæ Eduardi filiam tum
 nonnisi tres annos natam in uxorem acci-
 peret, illa vero solidis novem annis us-
 que

*Till. in tract.
Frans. &
Angl.*

Sæcul. XV. que ad nuptiarum solemnitas dotis nomine
A.C. 1475. cunctis frueretur Aquitanniæ proventibus, nisi Ludovico Regi præplaceret, eisdem quotannis quinquaginta aureorum millia Londini solvenda assignare. Ipso autem connubii die uterque Sponsus Aquitanniæ dominio potiretur, atque inter Galliarum & Angliæ regna ad novem annos foedus percuteretur, in quo Burgundiæ ac Britanniae Duces, nec non alii quicumque Galli, qui ante patrum subscriptionem ad arbitrium Anglorum nominari deberent, comprehenderentur.

Præterea inter utrumque Regem mutuo pacto convenit, ut arbiter constituatur, qui de eorum controversis iudicibus dijudicandi ac sententiam ferendi facultatem haberet, atque ille terdeciescentena aureorum millia multæ nomine solveret, qui hujus iudicio stare detrectaret. Præterea utrinque ad armatam inferenda, quam repellenda foedus erectum est, vi cuius emergente belli intestini tumultu, nec Ludovicus rebellibus Anglis, nec Eduardus Gallis seditionem moventibus auxilia ferre possent. His pactis subjunxerunt Anglorum Deputati, quod eorum Rex, ut luculentum sinceri, atque ad pacem & Gallorum commoda propensi animi præberet testimonium, proditoris adversus Franciam adorna-

adornatæ Auctores Galliarum Regi non modo indicare, sed etiam evidentia perfidiae argumenta producere velit.

Sæcul. XV.

A.C. 1475.

§. LXV.

Margarita Andegavensis libertati restituta, Et in Franciam reversa.

Inter plurimas hujus foederis prærogativas haud infima erat recuperata libertas Margaritæ Andegavensis, quæ Henrici IV. vidua ab Anglis libere dimissa in Gallias redeundi, ibique morandi copiam obtinuit, ubi etiam sexto vel septimo post adventum anno rebus humanis erepta est. Priusquam vero Anglia excederet, Eduardo jubente, omnibus juribus, quæ in Angliæ regnum sive demortui Mariti, sive dotis suæ, ac quocunque alio nomine habere prætenderat, nuntium mittere compulsæ est.

§. LXVI.

Colloquium Piquiniacense inter ambos Reges.

Foedere utrinque firmato Angliæ ac Galliarum Reges die vigesima Augusti prope Ambianum ad pontem Piquiniacum, solita mutuæ securitatis cautione præmissa, congressi sunt, ac privato collo-

Sæcul. XV.
A. C. 1475.

quo inter se habito pacis articulos iurando confirmarunt: cum vero Ludovicus Britanniae Ducis potentiam, ejusque vires adeo accisas esse vellet, ut sibi nullum amplius ab eo damnum inferri posset, hoc animi sui propositum Eduardo aperuit, qui tamen Regi respondit, Ducem sibi longo amicitiae foedere junctum nunquam datam fidem fefellisse, proin se paratum esse, omni tempore atque adversus quemcunque, qui Britannum aggrederetur, arma capeffere, huncque in finem semetipsum copias suas in auxilium educturum. Ludovicus Regis Angllæ offensionem verebatur, unde confestim sermone ad alia converso sciscitabatur, quid agendum censeret, si Burgundiae Dux foederi adscribi recusaret? mox Eduardus nil hæsitans reposuit, se Duci iterum iterumque denunciaturum, quod pax omnino acceptanda esset, re-nuente vero significaturum, quod impo-sterum sibi in suis adversus Franciam controversiis nullam de Eduardo opem sponderet. Colloquio inter utrumque Regem longius producto, ambo demum de deliciis, urbisque Parisiensis amcenitatibus sermonem instituebant, ubi Eduardus Angllæ Rex civitatis conspectu oculos suos pascendi haud obscurum monstrabat desiderium, ejus quoque amici cupiditatem augebant; imo Hawardus Galliarum

Galliarum Regi Eduardi vota exponebat, Sæcul. XV.
 cui tamen Gallus respondit, Regis An- A.C. 1475.
 gli præsentiam sibi gaudio, & Parisiensi-
 bus summo honori futuram : Cum vero
 Ludovicus vereretur, ne Eduardus Pari-
 siensis urbis illecebris captus, diuturnio-
 rem ibidem moram traheret, ac forte
 sæpius illuc veniret, (*) Eduardo signi-
 ficari fecit, se proxime exercitum suum
 ad Campanniæ fines movere compulsura
 esse, ut adversus Burgundiæ Ducis in-
 sultus Lotharingiæ Ducatum tueretur.
 Unde Eduardus curiositate sua minime
 expleta Angliam conscensis navibus re-
 petere decrevit.

§. LXVII.

*Burgundi indignatio ob pacem inter
 utrumque Regem.*

Burgundiæ Dux, qui tum Lucemburgi
 agebat, postquam pacem inter utrum-
 que Regem firmatam esse intelligebat,
 omni cunctatione remota quindecim
 duntaxat Nobilibus stipatus Eduardum
 convenit, ac foederis cum Galliarum Re-
 ge initi veritatem edoceri postulat. E-
 duardus inducias a se cum Ludovico XI.
 sancitas

(*) Vide Hist. Eccl. Fleur. contin. Lib. CX.
 §. CXLII. pag. 412.

Sæcul. XV. A.C. 1475. sanctitas fuisse fatebatur, subjungens, iisdem etiam adscribi, Burgundo omnino integrum esse. Huic tamen arrogantius his verbis reposuit Burgundiæ Dux:
 „ non tam opis tuæ indigus te in Gallias
 „ evocavi, sed potius ideo, ut ad ea, quæ
 „ Prædecessores tui in Francia amiserunt,
 „ denuo recuperanda tibi auxilium præstarem;
 „ quod vero foedus tuum attinet, nullatenus eidem adscribi volo,
 „ nec unquam cum Gallis pacem aut inducias percutiam, nisi hi prius trajecto mari ad suos revertantur; nondum etiam temporis induciæ, quas ambo ad acceptandos pacis articulos vestris foederatis præscripsistis, exierunt. His dictis præcipiti prorsus gressu abiit, ac nonnisi Mense Octobri pactis induciis accessit.

§. LXVIII.

Secretarius Connestabilis ad Galliarum Regem missus.

Commin. l. 4. c. 3. Inopina foederis cum Anglis initi fama haud minori admiratione Connestabilem affecit. Is Eduardum ob injuriam, quam ei nuper in oppido S. Quintini intulerat, merito sibi offensum credebat, hinc illum adire veritus, ad Galliarum Regem confugit, missis hunc in finem Crevilla, & Richerio, quem ab epistolis habuit

habuit. Rex primo illis colloquii gratiam denegat, cum vero ambos Burgundiae Duci infensos esse nosset, demum eis fandi copiam dedit, ea tamen usus diligentia, ut Contayus a tergo cujusdam parietis lignei lateret, ut per fatiscentium asserum rimulas, quæ hi duo referrent, percipere posset. Contayus favebat Burgundiae Duci, implacabili autem odio Connestabilem insequabatur, atque olim Atrebatum unacum præsidario milite in captivitatem abstractus erat. Eo igitur tam caute abscondito, Crevilla atque Richerius cubile ingrediuntur, atque exponunt, se a Connestabili in Belgium missos, ut Burgundiae Ducem ab Anglorum fœdere divellerent; hanc in rem se Duci adversus eos tantam inspirasse invidiam, ut Burgundus eorum partes deserere vix non decrevisset. Crevilla Regi obsequium præstare ratus, vocem suam mutabat, perinde ac si Burgundiae Dux loqueretur, & adversus Angliæ Regem non sine gravi contemptu plurima effudit convitia: His perceptis ambo Legati subjungunt, in præsentis rerum vicissitudine optimum fore consilium, si sacra sua Majestas cum Anglis pacisceretur inducias, Connestabilem huic rei perficiendæ haud gravate suam navaturum operam, dummodo Rex pro parte sua promitteret, quod se Anglis, ut ibidem hybernare possent,

Sæcul. XV.
A.C. 1475.

Contay

Sæcul. XV. possent, quasdam urbes minus nobiles
 A.C. 1475. concedere vellet; nomine autem harum
 urbium insinuare volebant aut Eufium,
 aut S. Galerici oppida. Rex sat contentus,
 quod coepti consilii telam rite texisset,
 simulque Contayus omnia, quæ Conne-
 stabilis tam per se, quam per suos Depu-
 tatos dixisset, suis auribus percepisset, sine
 omni verborum offensione utrumque Le-
 gatum dimisit, eisque hoc duntaxat in
 responsis dedit, „ ad fratrem nostrum
 „ (Connestabilem intelligebat) mitte-
 „ mus Legatos, qui eidem animi nostri
 „ consilia aperient.“ His dictis eos va-
 lere iussit.

§. LXIX.

*Burgundi conjuratio in Conne-
stabilis perniciem.*

Legatis abeuntibus, Contayus indigna-
 tione commotus, jam omnis moræ
 impatiens erat, quin cuncta, quæ proprio
 aurium testimonio perceperat, protinus
 Burgundiæ Duci referret. Nec ad id
 prompta illi defuit occasio; quippe a Re-
 ge ad Burgundum Legatus decerneba-
 tur, literis publicæ fidei instructus. Dux
 re comperta ab illo temporis puncto in
 Connestabilis exitium jurabat, ac cum
 Ludovico XI. conferre, necnon novem
 annorum inducias pacisci statuit, easque
 paulo

paulo post Verbini mutuo utriusque con-
sensu firmavit. Jam communis omni-
um in Connestabilis interitum conflata
erat conspiratio, & hunc tandem fune-
stum exitum habebat sagax ad fallendum
hujus Viri ingenium. Postea Eduardus
Galliarum Regi omnes, quas a Conne-
stabili accepit, literas communicabat:
alias eidem submittebat Burgundiæ Dux.

Sæcul. XV.
A.C. 1475.

§. LXX.

*Connestabilis securitatis literis per Bur-
gundiæ Ducem munitus ad Mon-
tes profugus.*

Connestabilis cum fabam, quæ in eum
cadebatur, edoctus esset, ac probe
cognosceret, quod Ludovicus Rex colle-
ctis copiis eum in oppido S. Quintini ob-
ruere moliretur, hinc in tantis angustiis
deprehensus, a Burgundiæ Duce securi-
tatis literas petere decernit, easque ob-
tinet. His munitus ad Montes Hano-
niæ se recipit: iniquissimo tamen sui fa-
to; quippe Verbiniensis fœderis legibus
inter Regem atque Burgundum conven-
tum erat, ut quiscunque eorum prior
Connestabilem comprehenderet, illum
proximis octo diebus aut ipse morti, aut
alterius potestati traderet. Quare Ludo-
vicus vix comperto fugæ loco, septingen-
tis aut ferme octingentis lanceariis sti-
patus

Sæcul. XV.
A.C. 1475.

patus ad oppidum S. Quintini contendit, illudque adoritur, capitque; eoquod cives adventanti ultro urbis portas aperirent. Rex ad Burgundum tam prosperi eventus nuntium ablegat, significans, se Duci civitatem haud quaquam redditurum, nisi Connestabilem vel vivum vel mortuum ei traderet. Burgundiæ Dux hanc civitatem, cum illam suffragante Connestabilis opera recuperandi spem nondum abjecisset, Regis imperio subjectam esse vehementer dolebat, eo potissimum nomine, quod nonnisi fidem datam, jusque gentium violando eam sibi denuo vindicare reliquum haberet. Nihilominus dolori suo imperans, magno Hannoniæ Prætori negotium dedit, ut Connestabilem comprehenderet, non eo tamen consilio, ut Reum Ludovico Regi committeret; Dux enim, cum Nanceji urbis obsidioni acius insisteret, totam Lotharingiam paucos intra dies subigere, moxque victrices suas copias ad oppidum S. Quintini admovere intenderat; sperabat etiam, quod Connestabilis jam omni metu vacuus ad præfatæ urbis expugnationem ei ingentem commeatus copiam suppeditaturus esset; cum Bunii ac Hannonæ optime instructas annonæ officinas haberet. Tanto subsidio auctus spem concipiebat, fore, ut demum amœnas, pinguesque, quas in Flandria possidebat, ditio-

Bohain.

ditiones cum pleno dominio obtinere pos-
set, ac facile ope Gallorum, quibuscum
clandestina adhucdum communicabat
consilia, universalem in Francia seditionem
concitare valeret.

§. LXXI.

*Connestabilis, jussu Burgundiæ
Ducis, captus.*

Cum autem Galliarum Rex Burgundiæ
Ducem misso ad eum Buchagii Dy-
nasta urgeret, ut datam fidem exsolvere
haud ultra cunctaretur, Dux huic legato
promisit, se die vigesima prima Novem-
bris Connestabilem Ludovici XI. mani-
bus traditurum, deditque hujus rei ne-
gotium Hugonecto Cancellario suo, nec-
non Imbercurtio: Idem tamen manda-
tum protinus revocare intenderat, simul-
ac Nancejum occupasset; spe enim certa
tenebatur, hanc urbem die vigesima No-
vembris deditioe facta in ejus potesta-
tem redigendam.

§. LXXII.

*Burgundus a quodam nomine Campo-
Bassio proditus.*

Verum Ducis consilium fefellit eventus;
& quidem ob cujusdam Neapolitani,
cui nomen Campo-Bassius, insignem per-
fidiam.

Sæcul. XV. fidiam. Hic enim primum factioni An-
 A.C. 1475. degavenfi addictus, demum Burgundi

Commin. l. 4. c. 13. ad fin. Ducis partibus sese adjunxit, ab eoque
 quadraginta aureorum millibus instructus,
 in Italiam missus est, ut quadringentos
 Lancearios conscriberet. Lugdunum
 veniens, consuetudinem, familiaritatem-
 que junxit cum quodam Medico nomine
 Simone, natione Italo, quem Ludovi-
 cus XI. eo miserat, ut Sabaudie Du-
 cissæ tum viduæ clandestina exploraret
 consilia. Huic Campo-Bassius exponit,
 si ei Rex viginti aureorum millia nume-
 ratæ pecuniæ dare vellet, se Du-
 cem Burgundiæ aut vivum Regi tradi-
 turum, aut manu sua occisurum. Cum
 vero Simon parricidæ proposito operam
 suam navare detrectaret, Campo-Bassius
 Duprajum seu de Sancto Prato Regis
 in Pedemontio Legatum ad idem faci-
 nus sollicitat, sed nec illum ad tantam
 perfidiam Simone promptiorem experie-
 batur, unde quadringentis lanceariis in
 Italia collectis, atque in Belgium dedu-
 ctis, iniquum suum consilium Regi ape-
 ruit, cujusdam probatæ fidei hominis
 ministerio usus.

Dupray.

§. LXXIII.

*Connestabilis Regi traditus, ac
 carceri inclusus.*

Ad tantam hujus Neapolitani nequi-
 tiam

tiam exhorrescebat Ludovicus; quocirca Secul. XV.
A.C. 1475.
Burgundiæ Ducem de insidiis ejus vitæ
a Campo-Bassio fractis edocet. Verum
opinio, quam de fidelitate Campo-Bassii
conceperat, tam alte Ducis animo inse-
dit, ut de periculo monitus, nihil de se-
curitate sua sollicitus esset, sed Regis li-
teras nonnisi confictas, & ad Bellidu-
cem, quem inter ceteros unum longe
fidelissimum habebat, adversum se conci-
tandum fabricatas existimaret. Campo-
Bassius Ducis sui cæcitate lætus, atque
triumphans, novas in Burgundi interi-
tum fraudes comparat, Lotharingiæ Du-
ce ad criminis societatem sollicitato, qui
oblatam quidem vindictæ occasionem ac-
ceptat, pecunias tamen a Campo-Bassio
petitas, nisi prius sibi sat probata Sicarii
fides esset, numerare recusat. Necdum
de pretio sanguinis inter utrumque plene
convenerat, cum jamjam statuta dies, qua
Burgundus Connestabilem Gallis trade-
ret, appropinquasset, quin tamen adhuc
Nancejensis, urbs in Burgundi potestatem
venisset; quippe Campo-Bassius, qui sub
vexillis Burgundiæ Ducis stipendia me-
rebatur, deditionem urbis, donec pactum
cum Lotharingio perfecisset, studiosius
retardaverat. Itaque Burgundus, cum
ea die, qua crediderat, Nancejum expu-
gnari desperaret, misso protinus nuntio
mandata adversus Connestabilem data
Hist. Eccles. Tom. XXIX. M m revo-

Sæcul. XV. revocari jubet. Verum cursore tardius
A.C. 1475. adventante, Connestabilis jamjam Per-
 ronnam abstrahatur, ut Borbonii No-
 thi manibus committeretur, a quo etiam
 Parisios delatus, die secunda Decembris
 carceri, quem *Bastillam* vocant, manci-
 patus est.

§. LXXIV.

*Connestabilis capitali sententia dam-
 natus, ejusque supplicium.*

Continuo adversus eum capitis causa
 instruitur, judicii Præsidentem agente
 Franciæ Cancellario. Reus ad quæstio-
 nem vocatur, ac criminis sui evidentia
 adeo convincitur, ut illud negare mini-
 me auderet; ex sententia igitur Senatus
 Parisiensis ad capitis poenam damnatur,
 quam etiam die decima nona ejusdem
 Mensis Anno millesimo quadringentesimo
 septuagesimo quinto in Graviæ foro sub-
 iit, annos tum natus sexaginta tres.
 Adeo ferme omnibus Connestabilis ob-
 perfidias, quas solido decennio exerce-
 bat, execrandus videbatur, ut nemo es-
 set, qui ejus morti lacrimis, ac luctu pa-
 rentaret. Ipse tamen inter luculenta pœ-
 nitentiæ, ac pietatis eximie signa sup-
 plicium tolerabat, si tamen de interno
 religionis cultu ab exterioribus judicium
 petere, ac speciosis raræ probitatis signis
 fidem

*Commin ibid
 Mezer. Sy-
 nops. Chro-
 nol. hist. Lu-
 dov. XI. in 12*

fidem adscribere fas est; persæpe enim Sæcul. XV.
A.C. 1475.
ambigua sunt ejusmodi externa virtutum
indicia. Ob hanc Connestabilis mortem
Ludovicus Rex, cum adeo formidabilis
inimici metu perfunctus esset, tripudia-
bat, simulque res Burgundiæ Ducis haud
parum auctæ erant, recuperato S. Quin-
tini oppido, aliisque urbibus, quas Gal-
liarum Rex eidem integra fide reddidit.
Eodem quoque liberalitatis argumento
Comitatum Ligniacensem in Ducatu Ba-
rensi situm Carolo de Trimollio Credoni
Toparchæ; Briennensem vero Comita-
tum Carolo de Ambacia Calvimontio
donavit. Uterque Comitatus olim Con-
nestabili parebat; sed præter hunc Lu-
dovicus plures alias ditiones potissimum
in Burgundiæ Ducis Statu sitas occu-
pabat.

§. LXXV.

*Fœdus inter Regem Franciæ &
Burgundiæ Ducem.*

Rex Franciæ septima ante Connestabilis
mortem hebdomada cum Burgundiæ
Duce fœdus pepigit, quo illi omnes suas
Provincias eadem libertate, iisdemque
immunitatibus ac privilegiis, quibus re-
gnante Carolo VII. fruebatur, possiden-
das spondit: Dux vero vicissim promisit,
quod omnibus omnino fœderibus, quæ
Mm 2 hucuf-

Sæcul. XV. hucusque in Ludovici Regis præjudicium
A.C. 1475. pepigisset, penitus ac integra fide nun-
 tium mittere velit, Demum mutuum al-
 terutrius inimicos repellendi pactum ini-
 tum, firmatumque est. Ludovicus novo
 hoc fœdere, atque induciis, quas nuper
 cum Burgundo ad novem annos sanxe-
 rat, ab externo armorum metu otium
 nactus erat, eo potissimum nomine, cum
 sibi nullum a Burgundi inconstantia pe-
 riculum imminere videretur; eoquod ille
 magnis in Germania tumultibus implic-
 tus, bellum adversus Helvetios pararet.

§. LXXVI.

Inflata Burgundiæ Ducis consilia.

Burgundiæ Dux totam ferme Lotharin-
 giam suis subjecisset armis, si Nane-
 cejum occupasset; cumque optime sibi
 perspectum haberet, quod Ludovicus se-
 creto articulo pollicitus esset, sese Renati
 Ducis rebus nulla ope adfuturum, hac tem-
 poris opportunitate utendum ratus, fi-
 xum in animo, destinatumque habuit,
 suarum ditionum fines latius extendere,
 ac Gallorum, quibus clientelari obsequio
 obnoxius erat, jugum excutere, demum
 vero de Helvetiis vindictam poscere, eo-
 rumque Provincias occupare. Statuit
 etiam reliquam Sabaudia, ac Provinciae
 partem iis, quas jam possederat, urbibus
 adji-

ad dicere, suumque imperium Ducatu et-
iam Mediolanensi ac Neapolis Regno au-
gere decrevit. Verum ea, quæ vano
atque inani mentis somnio conceperat,
qua arte, qua ratione pertexere coepe-
rit, recenseamus, atque ab ipso Sabau-
diam subigendi consilio auspicemur.

§. LXXVII.

*Burgundus Filiam suam juniori
Sabaudiaë Duci in uxorem
dare pollicitus.*

Eo tempore Sabaudis imperabat Ama-
dæi IX. Filius, quem Pater ejus
morte præventus, adhuc puerum Jolan-
dæ de Francia Matris suæ, ac Ludovi-
ci XI. Sororis tutelæ commendabat;
Hæc erga Franciam, quamvis illa natale
ejus solum esset, omnem tamen affectum
ex animo suo ejecisse videbatur; forte
iniquius ferebat, quod Amadæo in uxo-
rem data patrios lares relinquere com-
pulsus esset, ut Carolinæ Sorori suæ lo-
cum cederet, quæ Ludovico XI. sociali-
bus vinculis juncta fuit: nisi fors dicere
possemus, adeo in ejus mente amorem
erga filium suum prævaluisse, ut is
omnem cujuscunque alterius affectus
scintillam restinxerit. Hanc ergo, ut sibi
devinciret, Burgundiæ Dux missis ad
eam Legatis, juveni Sabaudiaë Duci fi-
liam suam in futuram tori sociam obtulit.

M m 3

Ducissa

Sæcul. XV.
A.C. 1475.

Sæcul. XV. A.C. 1475. Ducissa de Burgundi proposito vix satis edocta erat, cum jam præcipiti consilio, ac neglecto Galliarum Regis fratris sui commodo, commentitio ac inani Ducis consilio consentiret, atque ex subditis suis longa militia magis exercitatis quinque millia conscriberet, eosque Burgundionum copiis adjungeret. Hujus foederis auspicio Burgundus ab ultimis Frisæ finibus usque ad Mediolanensem Ducatum longa ac continua suarum ditionum serie imperium ingentibus incrementis protendere, hocque pacto alterum ambitionis suæ commentum novis Mediolanensis Ducatus accessionibus explere potuisset.

§. LXXVIII.

*Mediolanensium Dux Burgundi
amicitiam postulans.*

Summæ rerum in Mediolanensi Ducatu eodem tempore præerat Galeatius Sfortia Francisci Sfortiæ nothi Filius; hujus Parens, cum Venetorum copiis imperaret, Ducatum vi occupabat, quem proin in Filium suum nonnisi usurpatorio nomine transferre poterat. Mediolanenses pacato Francisci Sfortiæ regimini jamjam assueti Galeatium velut monstrum ex hominum consortio protinus eliminandum habebant, atque conjurationem

tionem, in qua etiam postea misere trucidatus obiit, ferme universalem adversus eum conflagant. Galeatius periculi sibi imminentis haud omnino ignarus erat, ac aliunde ad solam famam nuptialis foederis, quod Filia Burgundiae haeres cum Duce Sabaudiae inire dicebatur, conterritus suspicabatur, hoc affinitatis vinculum non alio conceptum esse consilio, quam ut Burgundo ob quadringentos lancearios Ludovico XI. in bello *boni publici* suppeditatos poenas daret. Quare ut impendentem capiti suae tempestatem mature praeveniret, compertae fidei Virum ad Burgundiae Ducem ablegat, qui cum eo amicitiae foedus pacisceretur. Burgundus ignaviam, quam hoc facinore Galeatius prodiderat, risu ac contemptu explosit; ejus tamen voto de industria concessit, ut ab eo copias, & pecuniam in belli subsidium extorqueret. Nec eum spes sua fefellit; cum enim ab eo quindecim millium armatorum suppetias impetrasset, adeo inermem reddidit Galeatium, ut Burgundionum exercitus Mediolanensem Ducatum ad primum hostilem impetum, nullo ferme obsistente, imperio adjungere potuisset.

Saecul. XV.

A.C. 1475.

Sæcul. XV.
A.C. 1475.

§. LXXIX.

*Renatus Andegavensis de Galliarum
Rege conquestus.*

Non infimum erat Burgundo ambitio-
nis suæ irritamentum sperata Regni
Neapolitani possessio; noverat enim,
Andegavensem familiam inde ejectam
esse præclusa omni illud recuperandi spe,
ac præterea Renatum Andegavensem
gravi senio pressum non nisi unicum su-
perstitem habere ex filia sua Nepotem
Renatum Lotharingiæ Ducem; hunc
ipsum vero jam pene suo Ducatu exutum,
ac proin Neapolitanum diadema vindic-
cando imparem esse. Insuper Ludovi-
cus XI. non solum Renato Andegavensi
opem ferre constanter recusabat, sed et-
iam jam aperta vi eundem non ita pridem
Andegavensi, & Barensi arcibus, quas
Renatus suo milite munitas tenebat, ex-
poliabat, veritus, ne ultionis libidine
stimulatus, easdem denuo Gallicæ Coro-
næ hostibus redderet. Renatus hanc in-
juriam vehementer indignatus, unice
vindictam animo agitabat, quam, ut va-
lidius exerceret, Burgundiæ Ducem so-
cium sibi adlegere, eundemque Provin-
ciæ Comitatus, quem tum possidebat,
hæredem scribere meditatur: Opportu-
ne tamen juxta ad dextrime illum ab
hoc

hoc consilio Joannes Cossa, amicus ipsi ^{Sæcul. XV.}
 in paucis carus, & Magnus Provinciæ ^{A.C. 1475.}
 Seneschallus dimovit, prout in progressu
 historiæ perspiciemus.

§. LXXX.

*Bellum Helvetiis demuntiandi obtentus
 a Burgundo quæsitus.*

Ut ampla, atque magna illa consilia ad
 exitum deduceret, nil reliquum Bur-
 gundo esse videbatur, quam ut sibi per
 Helvetiam transitum aperiret, inde in
 Mediolanensem Ducatum penetraturus.
 Ast nisi Helvetiis bellum indiceret, rem
 e sententia haud quaquam successuram
 prospexerat. Nec deerat huic consilio
 opportuna occasio, atque prætextus mul-
 tum vero similis, eoquod Helvetii paulo
 ante Burgundum ex Comitatu Ferretano
 propulsassent. Nihilominus neglecto hoc-
 ce obtentu longe magis infirmum, ausim
 dicere, ridiculum selegit: contigit enim,
 quod quidam Helveticæ gentis Merca-
 tor, cum currum pellibus vervicum onu-
 stum per Vaudum transveheret, vectigal,
 eoquod plus æquo exigeretur, pendere re-
 cusasset. Hic, cum ei pelles detineren-
 tur, & currum provehere prohiberetur,
 de injuria apud Helvetios conqueritur.
 Eo tempore Vaudensis Regio parebat Ja-
 cobo Remontio Comiti ex Sabaudorum
 M m 5 stirpe

Sæcul. XV.
A.C. 1476.

*Chateau-
Guyon.*

stirpe orto, necnon Castri-Guionis Toparchæ, qui Principis Arausionensis frater erat: Hos ergo adeunt Helvetii, damnique, ac injustitiæ Mercatori illatæ compensationem ab ambobus hisce dominis efflagitant. His vero satisfacere renuentibus, Helvetii armis instructi primo Vaudensis Prætoris curiam invadunt, demum quasdam arces occupant, easque in debiti pignus obsident. Burgundus hac occasione fretus, utriusque Domini causam in se suscipit, eisque opem pollicetur adeo promptam, ut Nancejo urbe capta mox promissi fidem exsolveret.

Helvetii viribus suis diffisi, mitiora ceperunt consilia, litemque tam amplis conditionibus componere conati sunt, ut eas rejici vix vero simile videretur; offerebant enim, se supplicum more a Duce pacem, atque amicitiam exoratos, omnibusque exteris foederibus missuros nuntium. Spondebant insuper, quod Duci sex millia armatorum suppeditare, ac denique Remontio, ac Castro-Guyoni, prout æquum justumque visum fuerit, satisfacere velint. Ast Helvetiorum Deputati surdas pulsarunt aures, Burgundo eos armis petere parato.

§. LXXXI

§. LXXXI.

Sæcul. XV.
A.C. 1476.*Edictum Ludovici XI. de festivitate
S. Caroli Magni.*

Hoc anno Ludovicus XI. edito diplomate diem natalem S. Caroli Magni, quem ineunte sæculo undecimo Universitas sibi in Protectorem elegerat, festum in Regno suo haberi præcepit.

§. LXXXII.

Roma a Tibere inundata.

Annus Christi millesimus quadringentesimus septuagesimus sextus lugubre dedit initium Romanæ urbi ob gravissimam Tiberis inundationem, quæ inchoante Mense Januario ex nivibus calore solutis adeo excreverat, ut tempora Noe scribit Cardinalis Papiensis, timerentur, *Papiens. epist. 642.* delerique iterum, quæ sunt super terram, *Palmer. in Chronic.* crederentur. Unde ingentia damna urbi, agrisque illata fuere. Subsecuta est hanc calamitatem altera longe magis funesta; *Trithem. Vir. illustr.* maxima enim pestilentia vi urbs tota assiduis adeo exhausta erat funeribus, ut Papa Roma excedere compulsus esset. Eodem quoque morbo absumptus est summo litteratorum luctu Joannes de Regio monte (*) Nazione Germanus, qui
a Sixto

(*) Cognomen ejus erat Müller, sive Molitor, *vid.*

Secul. XV. a Sixto IV. summo Pontifice ad emendandum Paschalem Dionysii exigui cyclum Romam vocabatur. Vir erat in astronomia, ceterisque Matheos disciplinis longe versatissimus. Fuit quoque Georgii Burbachii natione Bavari quondam discipulus, & græca ac latina eloquentia, necnon Scriptorum notitia eruditissimus; quapropter, ut de eo testantur Auctores, a Matthia Hungaricæ Rege, civibusque Norimbergensibus perpetuo donatus est stipendio. Hic plurima posteritati reliquit ingenii sui monumenta.

§. LXXXIII.

Bulla Pontificis de Festo Conceptionis B. V. M.

Collect. Concil. 6. Labbe tom. 13. p. 1442.

Ut benignum numen memoratas pestilentiae, ac inundationis calamitates averteret, simulque cultus Beatissimæ Virginis in fidelium cordibus magis auferetur, Sixtus IV. summus Pontifex die prima Mensis Martii hoc Anno Romæ Constitutionem edidit, qua omnibus, qui Conceptionem Beatissimæ Virginis, quam in suo decreto immaculatam appellat, devote celebrarent, atque officium ejus ab ipso Sixto approbatum, &

vid. Petrum Gassendum, & Jo. Mollerum Rectorem Fiensb. qui illius vitam scripserunt.

& a binis sui Ordinis Religiosis Leonardo Sæcul. XV.
de Nogarolis, & Bernardino de Bultis A.C. 1476.
concinnatum recitarent, easdem concessit indulgentias, quæ ab Urbano IV. & Martino V. summis Pontificibus concessæ fuerant in Corporis Christi solemnitate. Ecclesia tamen Romana exiguo ex post tempore præfatum officium omitti atque illud de Nativitate Beatæ Virginis subrogari præcepit.

§. LXXXIV.

Primum Ecclesiæ Romanæ decretum de hac festivitate.

Ante Bullam Sixti IV. Conceptionis immaculatæ festivitas libero, atque arbitrario fidelium cultui relicta, nec ullo firmata erat decreto, quo hæc solemnitas vel Romæ vel in Italia aut in Francia publice fuisset celebrata, donec Anno millesimo quadringentesimo trigesimo nono Concilium Basileense edita Constitutione hoc festum per universam Ecclesiam celebrari decrevisset. Cum vero Romæ hujus decreti nulla habita esset ratio, eoquod Eugenius IV. summus Pontifex Basileense Concilium tanquam schismaticum & illegitimum execraretur, summo jubilo præsens Sixti IV. Constitutio ab omnibus recepta fuit, estque de festo immaculatæ Conceptionis omnium prima

Richer. Conc. general. l. 3. c. 3. p. 140. & 146. Gavant. rubr. fest. part. 2. p. 139

Sæcul. XV. prima, quam ab Ecclesia Romana con-
 A.C. 1476. ditam fuisse novimus. Celebratur hoc
 festum sub ritu duplici, nec tamen de
 præcepto; plurimis nihilominus ditatum
 est indulgentiis. Scribunt nonnulli, sed
 solida ratione destituti (*), a Sixto Pon-
 tifice hoc festum cum Octava fuisse insti-
 tutum, qua tamen successu temporis au-
 ctum est, licet Adventus solemnitas ob-
 stare videretur.

§. LXXXV.

*Varia edicta Ludovici XI. de Epi-
 scopis & Religiosis.*

Hoc eodem anno die octava Januarii
 Ludovicus XI. Galliarum Rex edi-
 ctum promulgavit hujus tenoris: Regi-
 bus Franciæ a Concilio Constantiensi fa-
 cta est facultas, ut Generalis Synodi
 convocationem a summo Pontifice petere
 possent; cum vero ejusmodi Synodus ob
 bello-

*Bouchel in
 decret. Eccles.
 Gallic. lib. 5.
 tit. 20. c. 38.
 Preuv. des li-
 bert. de l'ec-
 clif. Gallic.
 tom. 1. p. 430.
 & seq.*

(*) *Ex ipsa sanctione Sixti IV. patet, in-
 quit Pagius in suo Breviario ad hunc annum
 num. 39. absque fundamento Continuatore
 Hist. Eccles. Abbatis Fleury scribere, Sixtum
 Octavam Conceptionis non instituisse; nulla
 enim insumpta opera Spondanum transcripsit,
 & Constitutionem Sixti non perlegit, in qua
 de institutione Missæ, Officii & Octavæ Con-
 ceptionis fit mentio.*

Sæcul. XV.
A.C. 1476.

bellorum tumultus intermissa, ac inde multa schismata & scandala in Ecclesia fuerint exorta: hinc animus nobis est, ut tale Concilium celebrandi potestatem quam primum fieri poterit, concedi postulemus; ac propterea injungimus omnibus Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Prælati, ut ad suas Dioceses intra sex Menses sub pœna proscriptionis bonorum temporalium se recipiant, ibique diem, quo sunt convocandi, expectent; interea vero se ad hoc Concilium debite præparent. Eodem quoque edicto sancitum, ut quicumque Roma venirent, tenerentur in primo Regni ingressu literas, Bullas & Scripta, quæ secum afferunt, exhibere, ut compertum sit, si quid in illis forte contineatur, quod in præjudicium Regni ac privilegiorum Ecclesiæ Gallicanæ verteret: præterea ob eandem causam per aliud decretum Mense Septembri editum cautum erat, ne quis Abbas, Prior, aut quivis Religiosus ad Capitulum sui Ordinis extra Gallias celebrandum ullo modo proficisci posset, indicta pœna exilii, aliisque durioribus. Ejusmodi prohibitio in Galliis pluries decreta legitur.

§. LXXXVI.

*Cardinalis S. Petri ad vincula
Legatus in Francia.*

Cuncta hæc edicta a Rege promulgata
fuere,

Sæcul. XV. fuere, ut metum incuteret Juliano Cardinali titulo S. Petri ad vincula, Pontificis Nepoti, qui eo tempore ad Legationem suam in Gallias missus, Avenionem pervenit, ibidemque dissensionem habuit cum Carolo Borbonio ejusdem urbis Vice-Legato, & Lugdunensi Archiepiscopo. Contentio hæc Legatum inter, & Borbonium exorta est de juribus, quæ hic Avenionensi Legationi annexa esse contendebat, ac cum libertatibus, atque Regni privilegiis conciliare nitebatur. Hujus consilio obluçtatus est Legatus, eo potissimum nomine, quod Rex Archiepiscopi sibi sanguine juncti partes strenue tueretur, Maxime tamen Cardinalis Legati animum sollicitum, anxiumque reddidit fama temere sparsa, quod Ludovicus Rex non solum eo consilio copias in Provinciam misisset, ut ab hujus ditioris cessione, Burgundiæ Duci faciendâ, Renatum Andegavensem impediret; sed præcipue, ut Avenionensem Comitatum Ecclesiæ Romanæ subditum occuparet. (*) Ad hæc Legatus animo

haud

(*) Joanna Siciliæ Regina ac Provinciæ Comitissa Avenionensem Comitatum Clementi VI summo Pontifici Anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo octavo pro pretio octogies millium florenorum Florentini valoris, sen

haud parum turbatus, Regem adiit, a ^{Sæcul. XV.} quo tamen errore suo liberatus, moxque ^{A.C. 1476.} edoctus est, quod Rex cum Renato Andegavensi in pristinam amicitiam rediisset, proin Burgundiæ Dux spe sua, prætensisque in Provinciam juribus frustratus esset; re enim ipsa Provinciæ cessio Regi sub certis quibusdam conditionibus facta fuit.

§. LXXXVII.

seu circiter viginti quatuor millium florenorum Rhenanorum vendidit, proin hic status titulo oneroso ad Romanæ Ecclesiæ Dominium per illos, quibus pleno jure antea debebatur, devolutus est. Anno autem Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio Ludovicus XIV. Galliarum Rex præfatum Comitatum, ut injuriam ejus Legato Romæ illatam ulcisceretur, sibi vendicabat; verum rursus facta Pisis pace Anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto, necnon Anno millesimo sexcentesimo octogesimo nono, ac denuo uno post anno eadem ditio solemniter Romano Pontifici asserta, ac restituta fuit. Comitatus vero Viscantinus, quem Joanna Raymundi Comitissæ filia tanquam suam possedit, hæreditario jure ad Philippum audacem pervenit, eandem vero idem Philippus libere ac sponte per donationem inter vivos Gregorio X. summo Pontifici Anno Salutis millesimo ducentesimo septuagesimo tertio cessit.

Hist. Eccles. Tom. XXIX. N n

Sæcul. XV.
A C. 1476.

§. LXXXVII.

Bellum Burgundiæ Ducis adversus Helvetios: Gransonium captum.

Interim Burgundiæ Dux nondum spem abjecerat, fore, ut Provinciæ status ei cederetur, hinc Helvetiis bellum denuntiat; jamque capta Lausoniensi urbe, citato victoriæ cursu Gransonium obsidet, paucosque intra dies urbem incensibus maxima ex parte nudat, tantamque ruinam, stragemque edit, ut præsidarii milites nullo amplius contra tormentorum vim loco muniti, ad arcem se recipere compellerentur; verum licet eam, extrema quæque perpeffi virili profluo robore propugnarent, sub honestis tamen conditionibus deditionem efflagitare cogebantur. Dux quidem petentibus annuit: sed cunctas, licet proprio chirographo munitas deditionis leges violavit, atque libertate obsessis denegata, eos in tres dividebat partes, ut cunctos triplici crudelitatis genere e medio tolleret; horum enim quosdam laqueo enecari, alios in proximo quodam lacu undis submergi, ceteros denique ferreis compedibus vinciri iussit. Comperta hac Tyrannide S. R. Imperii urbes, quæ cis Rhenum sitæ sunt, ratum, fixumque habebant, Lotharingiæ Ducem in pristina jura reponere; unde

unde Helvetiis validam armatorum ma-
 num in auxilium mittunt; cum ipsi ali-
 unde nec militum, nec armorum penuria
 laborarent.

Sæcul. XV.

A.C. 1476.

Helvetii, gens ceteroquin rudis, ac-
 tum propriæ suæ virtutis nondum con-
 scia, ad primam Gransoniensis obsidionis
 rumorem tumultuarie copias contrahunt,
 & circiter sex millia suorum in aciem
 educunt contra Burgundiæ Ducem, qui
 tamen in exercitu suo ferme quinquagin-
 ta bellatorum millia numerabat. Quare
 exiguo suorum manipulo Burgundionum
 castra invadere minime ausi, versus Ebro-
 dunum ad Novocastrensis lacus extrema
 sese recipiunt, ibidemque angustas mon-
 tium fauces vallo atque fossis circumdant,
 spe freti, quod hostes suos forte irruen-
 tes facili negotio deleturi essent.

§. LXXXVIII.

*Pertinax Burgundi consilium Hel-
 vetios in montium angustis
 aggrediendi.*

Cum vero Burgundiæ Dux tam vali-
 dum recenseret exercitum, ut decem
 Burgundiones adversus unum Helvetium
 dimicarent, roboris sui fiducia elatus,
 nomini suo labem inuri existimabat, nisi
 ipsam quoque artem, naturamque expu-
 gnaret, spe fretus, loci opportunitatem,
 N n 2 qua

Sæcul. XV. qua hostes muniti erant, facile militum
A.C. 1476. suorum numero superatum iri. Quapropter Helvetios in montium faucibus tutos aggredi, pertinaci consilio statuit, nil proficientibus monitis suorum Belliducum, qui, licet militari prudentia magis clari essent; frustra tamen Duci exponebant, Helvetios ad angusta se recepisse loca Gransonium liberandi spe adductos, eos tamen comperta urbis expugnatione in suis montibus paulo post ad extrema redigendos; illos enim annuæ penuria laborare, proin ad sua reverti brevi compulsum iri, nisi forte cum certæ suæ cladis augurio in æquum apertumque campum descendendi consilium capturi essent. Ast Burgundus spreitis suorum consiliis in propriam sui ruinam præceps ruere maluit, suoque exercitu in tres partes diviso, primum agmen montium aditus invadere iussit; ipse vero haud procul cum media, atque postrema acie justo ab invicem intervallo discretis sequebatur. Adventantem Helvetii animo intrepidi, nec loco moti excipiunt, suisque sclopetariis, ac sagittariis ad flexuosa montium itinera circumcirca dispositis, exercitus robur ad viæ recessus collocant, hostem præstolaturi, ibidemque tam vacuum loci spatium relinquunt, ut Burgundus toto primo agmine suo impune progredi posset; reliquæ Hel-

Oliv March.
lib. 2. cap. 8.

Helvetiorum copiæ a dextra lævaque primos montis aditus obsidebant, ut Burgundis magno numero incautius, longiusque per angusta viarum abreptis, reditum intercluderent, hostemque a tergo strenue aggredierentur.

§. LXXXIX.

Burgundici exercitus clades ab Helvetiis illata.

Helvetiorum consiliis per omnia successus suus collusit. Burgundiones enim cum magna primi agminis parte montium recessus nullo obsistente penetrant, primique militum ordines in Helvetiorum agmen præcipiti furore irruunt, tantoque numero reliqui insequuntur, ut locus ex condito vacuus neglectusque in momento temporis Burgundo milite repletus esset. Hoc facto Helvetii dextrorsum, ac sinistrorsum dispositi dato signo prorumpunt, viarum aditus intercludunt, & residuam Burgundorum partem, quæ in prima acie erat, adeo scite propellunt, ut nec ultra progredi possent, eo quod Helvetii obversis hastarum cuspidibus obstarant, nec amplius pedem referre valerent, cum alterum hostis agmen retro viam obstruxisset. Unde Burgundiones ita arte conferti & quasi cohærentes stabant, ut nequidem se movere potuerint, sed grandinam

Sæcul. XV.
A.C. 1476.

Commin.
lib. 5. cap. 2.

Sæcul. XV. A C. 1476. dinantes sclopos, atque sagittas, necnon volitantis minoris plumbi globos exciperent, quin tamen scire possent, ex qua parte tam sæva eos tempestas persequeretur. Demum vero ad unum omnes, qui montium fauces penetraverant, impune trucidati sunt; residuæ autem primi agminis legiones, cum fuga salutis suæ consulere quærerent, cæco impetu in mediam aciem impegerunt. Helvetii, cum omnia vario tumultu turbata cererent, hac opportunitate usi protinus omnes suas copias in unum agmen coegant, ac fugientium tergis pressis instabant.

§. XC.

Burgundus inter suos quintus fuga dilapsus.

Verum hujus victoriæ gloria Helvetiis ne quidem certaminis discrimine stetit, reliquis Burgundionibus tanto terrore concussis, ut nonnisi fugæ intenti ad secundam usque aciem, cui ipsi Burgundus imperabat, retro cedere toto studio contenderent. Dux innumeris perfunctus periculis, ægre præcipiti fugæ morti sese subduxit, & quintus inter suos Juveniacum, oppidum ad confinia Burgundiæ Comitatus situm, pervenit, ac quindecim Gallicas leucas, quin unquam equum

Jeigne.

equum suum fræno solveret, confecit; Sæcul. XV. A.C. 1476.
 in hac tamen fuga, nonnisi septem suorum Cataphractorum Nobilium amisit; non enim eorum plures strenui militis partes agebant. Proelio cæsi sunt Petrus de Lignana, Castro-Guionus, Mont-fanfilanus, Lalanus, & Prufelius a suis destituti.

Chateau-Guion. Mont-Saint-Sorlin.

Omne peditum agmen, cuncta tormenta, copiosa Ducis suppellex, sarcinæ omnes, vasa argentea, & monilia in prædam Victoribus cessere. Hos inter Helvetius quidam, cum eximix magnitudinis adamantem, qui Ducis erat, ac margarita inter omnes totius Europæ longe pretiosissima ornatus resplendebat, in partem spoli obtinisset, tam iniquus erat rei æstimator, ut contemptum prædam suam conspiciens, facto nequidem pretio, sed vili neglectu, atque fastidio margaritam thecæ suæ mox repositam in quemdam currum temere projiceret; hanc tamen paulopost repetiit, non quidem spreti valoris poenitudine ductus, sed ut eam pro unius floreni pretio cuidam Sacerdoti divenderet, qui nec magis justus illius existimator illam ad quemdam Helveticum Belliducem detulit, a quo nonnisi aureum accepit. Parta hac Victoria Helvetii recuperata Gransonii urbe, præsidarios Burgundos iisdem omnino supplicis

Lalain.

Commin.

lib. 5. cap. 2.

Sæcul. XV ciis, quibus nuper Helvetios affecerant,
A.C. 1476. interemerunt.

§. XCI.

*Contajus a Burgundo ad Galliarum
 Regem missus.*

Ludovicus tum Bodnii Vellanorum ur-
 be agebat, quando Burgundici ex-
 ercitus cladem compererat. Nihilomi-
 nus gaudium, quod inde conceperat,
 tam dextre temperabat, ut moderatione
 sua, quamvis ficta fuerit, magnam ta-
 men existimationem sibi conciliaret.
 Postmodum Podnio Lugdunum progres-
 sus Contajum, quem Burgundiæ Dux
 eo ablegabat, excepit. Multum absimi-
 lis erat hujus Legationis species ab am-
 bitiosa Ducis eam decernentis indole;
 Contajus enim more supplicum ad Regis
 pedes provolutus, ingenue fatebatur,
 Ducem Dominum suum vehementer ti-
 mere, ne Rex recens ejus infortunium
 in rem suam verteret; his præmissis
 omnem eloquentiæ suæ vim, ac ratio-
 num momenta exhausit, ut Regis ani-
 mum ad generosam præteritorum obli-
 vionem, necnon ad induciarum fidem
 induceret. Ludovicus Contajum mul-
 tis benevolentiae signis exceptum facta
 petitorum spe, atque fiducia ad Ducem
 remittit, pollicitus, se inducias minime
 viola-

violaturum, nihilque sibi magis fixum, Sæcul. XV.
 destinatumque in animo esse, quam A.C. 1476.
 pacis otio ac tranquillitate frui.

§. XCII.

Legatio Ducis Mediolanensis Ludovici XI. amicitiam exorantis.

Contajo vix Lugdunum excedente, Regem salutabat alius Legatus a Mediolanensium Duce eo decretus. Galeatius enim cum Burgundiæ Duce foedus inibat, vi cujus mutuo spondebant, quod arma non modo repellere, sed etiam cunctis eorum hostibus, nequidem excepta Francia inferre vellent. Attamen vix vigesima prima dies effluxerat, cum jamjam Mediolanensis Dux improvidum sanciti foederis consilium incusaret; infaustam enim Gransonii cladem sibi pariter funestam fore pertimescebat. Unde ad Regem decrevit Legatum, virum alias in Francia penitus incognitum, eumque nonnisi mandatis oretenus communicatis instruxit, ac quidem fidei publicæ literis, sed nonnisi generali verborum forma conceptis munivit. Valuit tamen successus. Præprimis enim Legatus coram Rege ingenue fatebatur, quod Dux Mediolanensis pangendo ejusmodi foedus cum Burgundo graviter erraverit: ipsum vero imprudentiæ suæ poenitentia motum agebat.

Sæcul. XV. bat. Postea Regi Ducis sui nomine ob-
A.C. 1476. tulit, quod ipse foederi cum Burgundiæ
 Duce inito nuntium mittere, illud vero
 cum Francia sancitum rursus ratum ha-
 bere, ac denique centies mille aureos
 addere velit, dummodo Rex calamito-
 sam Burgundi conditionem in rem suam
 vertere haud negligeret. Ludovicus,
 ut oblatam Burgundum suo foederato
 destituendi occasionem non amitteret,
 Mediolanensis postulata, nec penitus reje-
 cit, nec etiam cuncta eidem concedere
 statuit, ne impunitatis facilitas Duci esset
 novæ temeritatis illecebra; quapropter
 Legato respondit, se Mediolanensis Du-
 cis pecunia nequaquam indigere, si ta-
 men eum repudiati Gallorum foederis fe-
 rio poeniteret, se ratum gratumque ha-
 bere, ut illud sub iisdem omnino verbis,
 atque conditionibus, quibus antea con-
 ceptum esset, innovaretur. Igitur acce-
 dente Mediolanensium Ducis consensu,
 pacta utrinque subscripta, firmata atque
 in scio Burgundiæ Duce Parisiis publica-
 ta fuere.

§. XCIII.

*Lis ob Provinciam inter Renatum An-
 degavensem & Ludovicum XI.
 composita.*

Nec solus erat Mediolanensis, qui a
 Bur-

Burgundiæ Ducis amicitia desciverat; **Sæcul. XV.**
 ipse enim Rhenatus Andegavensis Siciliæ **A.C. 1476.**
 Rex mentem suam ab ipsius fœdere pa-
 riter avocabat. Hujus præsidio destitu- **Commin.**
 tus Burgundiæ Dux, non modo Provin- **lib. 5. cap. I.**
 ciæ, quam Rhenatus ei cedere paraverat,
 spe frustrabatur, sed etiam in tantas re-
 digebatur angustias, ut omnia in Ducis
 exitium conspirasse viderentur. Præpri-
 mis enim Castro-Guionius, quem pro con-
 scribendis copiis ad subigendam Provin-
 ciam destinatis Pedemontium miserat,
 a Philippo Bressiæ Comite, Sabaudæ Do-
 mus natu minore Filio pecuniis ad dele-
 ctum militum numeratis spoliabatur, atque
 ægre admodum fuga sibi consulere pote-
 rat; capiebantur quoque ejus famuli,
 cunctisque archivi tabulis, quas illi se-
 cum deferrebant, excussis Provinciam
 occupandi consilia a Burgundo concepta
 prodebantur. Comes de Bressia hoc spo-
 lio lætus, quantocius tabulas ad Regem
 deferri curabat, quas ipse maturo exami-
 ne discussit, easque commodi, quod inde in
 eum redundaret, haud ignarus Renato Si-
 ciliæ Regi Avunculo suo communicabat,
 qui illis vix perspectis, indignabundus
 Burgundum summæ ingratitude incul-
 sat, ac hæreditatis jure indignissimum
 pronuntiat. Cossa, qui in hoc negotio
 operam suam Ludovico XI. sacraverat,
 hac rerum vicissitudine opportune usus,
 Renato

Sæcul. XV. Renato Scythiæ Regi suggestit, quod ad
A.C. 1476. avertenda Burgundi consilia, quæ forte
 ad Provinciam armis subigendam tenderent, sibi nil consultius esset, quam ut cum Rege Galliarum depositis odiis pacem iniret, eoquod saltem sub Ludovici præsidio ditionibus suis per reliquam vitæ tempus tranquille frui posset. Placuit Renato consilium Cossæ, eidemque absque moræ dispendio negotium dedit, ut opera sua Galliarum Regem suum Nepotem sibi conciliaret.

§. XCIV.

Colloquium Lugdunense inter Galliarum Regem, & Ducem Andegavensem.

Cossa accepto mandato quantocius Ludovicum XI, datis literis monet, ut temporis opportunitate uteretur, sique Provinciam suo imperio jungere cordi haberet, protinus Andegavensem & Barensem arces restitueret, hacque via Avunculum suum sibi devinciret. His reposuit Rex, se ejus consilio aquiescere, petere tamen, ut Renatus in testimonium voluntariæ cessionis suæ Regem Lugduni adire non detrectaret; eum ibi expectatione sua majorem Regis benevolentiam experturum. Igitur Renatus Lugdunum venit, atque haud vulgari amicitiae

amicitiæ significatione exceptus, honoris sibi exhibiti voluptate plene capiebatur. Sæcul. XV.
A.C. 1476.

In eodem colloquio Cossa intrepide coram utroque Rege exponebat ea, quæ ipse hucusque clam in hoc negotio egisset, ejusdemque verba ad Ludovicum XI. facta Comminæus, qui colloquio præsens totum sermonem percipiebat, hunc in modum recitat. „ Ne mireris, Rex „ potentissime, quod Siciliæ Rex Dominus meus, atque Avunculus tuus Burgundiæ Ducem sibi hæredem nominare promiserit ; id enim non suo, sed suorum ac præcipue meo actum est consilio ; attentis enim crebris injuriis, atque enormi injustitia, qua Renato, licet esses Sororis suæ Filius, priusque illius Nepos, Barensem & Andegavensem arcem eripuisti, ac in cunctis ejus negotiis illum oppressisti, hinc Duci nostro proposuimus, ut Burgundo hæreditatis spem faceret, non quidem eo animo, ut unquam, quæ sumus, nostra opera effectui darentur, sed duntaxat, ut comperta rei novitate ad læsi juris reparationem animum induceres, & Regem nostrum tuum esse Avunculum in memoriam revocares. „

Sæcul. XV.
A. C. 1476.

§. XCV.

*Articuli fœderis inter Ludovicum XI.
& Siciliæ Regem.*

Rex, prosequitur Comminæus, Cossæ monitum non modo benignissime excipiebat, sed etiam palam profitebatur, quod maximam de Provincia suo imperio brevi iterum adjungenda spei suæ partem Cossæ affectui deberet. Nec Regem sua in eum fiducia fefellit; quippe Carolus Andegavensis Cenomani Comes a Renato Patruo suo ex asse hæres scriptus, mortuo Siciliæ Rege omnium ditionum possessionem adibat, qui tamen quinto post anno eadem Galliarum Regi testamento reliquit, excluso Renato Lotharingiæ Duce Siciliæ Regis Nepote. Hujus cessionis beneficium Ludovicus XI. in acceptis referebat Palamede de Furbino Solierii Toparchæ, qui apud Cenomanensem Comitem magna valebat auctoritate, ac in obsequii sui præmium supremus Provinciæ Pro-Præfectus nominatus est. Ceterum Fœderis pacta inter Galliarum, & Siciliæ Reges sancita non explicabant cessionem Provinciæ jam tum reipsa Ludovico IX. factam, sed unice eo collimabant, ut fœdere penitus rescisso Burgundiæ Dux omni hæreditariæ successionis spe deiceretur;

*Fourbin.
Soliers.*

ceretur; Nec Rex Burgundiæ hæres Sæcul. XV. A.C. 1476.
 proclamabatur, Margarita tamen Ande-
 gavensis senioris Renati Vidua, quæ olim
 in Anglia unacum Henrico VI. Marito
 suo capta fuerat, Regi cessit omnia jura,
 quæ in bona, & dominia Patris sui ha-
 bebat; pro iis tamen numeravit Rex E-
 duardo Angliæ Regi quinquaginta au-
 reorum millia, quæ pro redimenda præ-
 fata Margarita expendebantur.

§. XCVI.

*Reconciliatio Ducissæ Sabaudicæ cum
Ludovico Rege.*

Inter omnes foederatos nonnisi Neapo-
 lis Rex, & Sabaudicæ Ducissa adhuc-
 dum Burgundi partes tuebantur: ambo-
 rum tamen sollicitudo eo maxime spe-
 ctabat, ne proxime imminente Bur-
 gundiæ Ducis exitio & ipsi pari fato in-
 volverentur. Quare Ferdinandus ab au-
 la Burgundi Fridericum Filium suum,
 quem eo miserat, revocabat. Ducissa
 quoque Sabaudicæ cum spe freta esset,
 quod Ludovici XI. fratris sui opera nu-
 pticæ Filii sui Sabaudicæ Ducis cum Bur-
 gunda hærede rescinderentur, Granso-
 nensem Burgundiæ Ducis cladem edo-
 cta verebatur, ne Ducatum suum adeo
 non aliena Belgii accessione extende-
 ret, ut propriam etiam ditionem suam
 cum

Sæcul. XV. cum ingenti Filii sui dispendio amitteret,
A. C. 1476. hinc Nobilem quemdam meritorum gloria clarum nomine Montignyum ad Ludovicum XI. ablegat, dato negotio, ut illam sua opera in Galliarum Regis gratiam revocaret. Non equidem Ludovicus repulsam legato dedit, nihilominus suam sententiam edicere distulit, donec de novi exercitus, quem Burgundus conscripserat, fortuna atque progressibus edoceretur; huc quoque Ducissæ expectatio tendebat.

§. XCVII.

Moratum a Burgundiæ Duce obsessum.

Interea Burgundiæ Dux copiosum collegit exercitum, quem ipse in aciem eduxit, ac Morato, quæ exigua est Helvetiæ urbs Bernæ admodum vicina, in Mense Junio admovit & die nona ejusdem Mensis urbem undique cinxit, eamque per tredecim omnino dies toto belli apparatu oppugnavit. Helvetii ad strenuam defensionem parati arma capessunt, suasque vires quater mille Equitibus longa militia exercitatissimis, quos eis Imperii; urbes in auxilium submiserant, augent. Ast cum hæ copiæ Belli-duce carerent, Ludovicus XI. Helvetiis auctor fuit, ut Renatum Lotharingæ Ducem

cem præficerent, eoquod illius propria Sæcul. XV.
caussa potissimam partem in hoc bello A.C.1476.
verteretur, cum a Burgundo suis ditio-
nibus exutus, omnique recuperandi Du-
catus sui spe ejectus esset, ac demum in
Galliis asylum quærere compelleretur.

§. XCVIII.

*Ultima clades ab Helvetiis Burgundo
illata.*

Renatus ab Helvetiis in Belli Præfectum
selectus cum copioso Gallorum E-
quitum agmine sibi quantocius a Ludo-
vico Rege suppeditato totam Lotharin-
giam armis suis emensus est, ac sine ullo
suorum dispendio sese Helvetiorum at-
que Germanorum copiis junxit. Ita-
que cum exercitu suo triginta quinque
millium armatorum valido ad Moratum
urbem decimo obsidionis die progreditur,
& per solidos tres dies situm, ac ho-
stiliam castrorum ordinem explorat, dein
omnes suas copias in unam duntaxat a-
ciem instruit, suosque equites, ne ab ho-
stibus circumfundi possent, ad utrumque
exercitus cornu collocat, ac postquam
a die decima nona usque ad vigesimam
tertiam otiosus subsistere credebatur, tan-
dem in Burgundiones toto impetu irruit,
prius tamen Moratensibus præfidiariis
ex condicto signum dedit, quo & ipsi e-
Hist. Eccles. Tom. XXIX. O o ru-

Sæcul. XV.
A.C. 1476. ruptione totis viribus facta in primam Burgundionum aciem prorumperent, ipse vero interea postremum hostium agmen invaderet. Constituto temporis puncto Moratenses erumpunt, atque a fronte & a tergo in Burgundiones uno certaminis furore invehuntur; Obstabant victoribus hostium aggeres, non sine magno labore, multoque cruore superandi; vicit tamen infracta Helvetiorum fortitudo, qui toto impetu usque ad ipsa Comitum Remontii tentoria penetrantes, vere panicum Burgundionibus incusserunt terrorem, ac prima eorum acie cæsa fugataque, Comitem cum suis ad medium agmen citato pede retrocedere compulerunt. Nec amplius ipsa Remontii præsentia suorum animos erexit, sed ipsi quoque ad exemplum primæ aciei spatium ingens tam præcipiti fuga emensi sunt, ut suos etiam belli Præfectos secum licet invitos abstraherent. Quantocius Helvetiorum equites ad exercitus latera positi fugitivos tanta cædis aviditate insequuntur, ut nequidem captivos facere solliciti, penes omnes interficerent.

Referunt Scriptorum nonnulli, in hoc prælio cecidisse quatuordecim millia Burgundionum, qua ferro jugulati, qua Moratensi lacu submersi; alii vero Historici occisorum numerum ad octodecim, aut omnino viginti millia augent. Hos inter

ter præcipui erant Joannes Lucembur-^{Sæcul. XV.}
 gicus, Connestabilis S. Pauli filius natu ^{A.C. 1476.}
 major, Grimbergus, Jacobus de Maës ve-
 xilifer. Insuper Comes Remontius Co-
 mitatus sui partem, quam reliquam ha-
 bebat, amisit; Dux vero Burgundiæ o-
 mni cunctatione remota Bisantium con-
 tendit, veritus, ne Helvetii victricia sua
 arma in hanc quoque provinciam exten-
 derent. Lotharingus autem media spo-
 lii parte accepta ad decem annos cum
 Germanis, atque Helvetiis foedus per-
 cussit.

§. XCIX.

*Sabaudia Ducissa per vim rapta, ac
 jussu Burgundi Roveram delata.*

Interea Burgundus consilia, quæ Sabau-
 dia Ducissa cum Ludovico XI. agita-
 bat, edoctus, inconstantiam ejus præve-
 nire statuit; quocirca eam per vim ab-
 duci jussit, dato hanc in rem negotio cui-
 dam ex suis subditis Olivario Marchia-
 no, qui tum temporis Genevæ agebat.
 Hic Ducissam abripere, ejusque liberos
 in Burgundiam deferre jussus, mandatum
 Ducis in publica via, quæ Cambrio Gene-
 vam ducit, exequitur; Ducissa præter o-
 mnem expectationem ac periculi timorem
 militibus cincta unacum filio suo secundo
 genito, atque utraque filia capitur, & pri-
 mum

Sæcul. XV. mum ad oppidum S. Claudii, inde ad
A.C. 1476. Burgundiæ Ducem abstrahitur, qui Mar-
 chianum minus benigno excepit obtutu,
 vehementer in eum commotus, quod
 natu majori, & tertio genito Ducissæ fi-
 lio incurius evadendi spatium conces-
 sisset; hos enim nonnulli eorum famu-
 li mature periculo liberarunt, eosque ad
 Genevensem Episcopum illorum Patrum
 incolumes deduxerunt. Ducissa vero,
 ceterique ejus liberi ad Roverrense ca-
 strum in Burgundiæ Ducatu haud procul
 ab urbe Divioniensi situm deferbantur.
 Rebus ita succedentibus Ludovicus Gal-
 liarum Rex, ne Sabaudia a Burgundo
 subigeretur, vereri cæperat; hinc non
 modo juniorem Ducissæ Filium, ejusque
 fratrem, sed etiam Cambriensem, & Mom-
 melianensem arcem in suam potestatem
 redigere statuit. Nec Regis consilio se-
 cundus defuit eventus; cum enim Epis-
 copus Genevensis se munerum ac pro-
 missorum amplitudine expugnari fineret,
 ambo Principes sub valido militum præ-
 sidio Lugdunum deferuntur, & ad Del-
 phini Palatium deducuntur; interea ve-
 ro Sabaudiæ regimen Episcopo, Pede-
 montii autem administratio Bressiæ Co-
 miti relinquebatur.

§. C.

Sæcul. XV.
A.C. 1476.*Ducissa e carcere clam elapsa, Turo-
nibus Regem adit.*

His interim agitat, Ducissa Rivarolum supremum Palatii Magistrum ad Regem fratrem suum ablegat, qui eundem impense efflagitaret, ut illam e carcere suo eriperet, eidemque exponeret, quod facili negotio in libertatem asseri posset, eoquod minus vigili excubitorum oculo observaretur. Accepto nuntio Rex pollicebatur, se hujus rei negotium Carolo de Ambasia Campaniæ Governatori demandaturum. Rivarolus Regis promisso confusus mox ad Ducissam revertitur, quæ ob faustum nuncium ingens gaudium concepit. Nihilominus eodem ferme temporis momento alterum adhuc Deputatum ablegavit, qui Regi supplicaret, ut data fide polliceretur, se Ducissæ liberam in Sabaudiam redeundi copiam concessurum. Idem Legatus rogare jubebatur, ut Rex Ducissæ liberos, necnon urbes eidem subditas redderet, eamque suo præsidio ita juvaret, ut in Sabaudia suam auctoritatem tueri possit. Rex omnibus Ducissæ votis annuit, ac nulla mora nuntium ad Carolum de Ambasia Calvimontii Toparcham decrevit, qui cuncta Rivarolo a Rege promissa exequeretur.

O o 3 §. CI.

Sæcul. XV.
A.C. 1476.

§. CI.

*Ducissa non sine lætitia in Sabaudiam
redux.*

Carolus de Ambasia demandata sibi provincia tanta dexteritate perfungebatur, ut Ducissam nullo ferme negotio libertati redderet. Hoc prospero rerum successu Ludovicus XI. admodum lætus, datis literis Sorori suæ significat, ut eum quantocius apud Turones conveniret, ipse vero præmissis Procerum quamplurimis eidem usque ad portam Pleffiaci prope Turones obviam procedit, illam excepturus. Equidem Rex animo constitnerat, se nihil, quod adventantem Ducissam offenderet, dicturum, nec tamen adeo sibi imperare poterat, quin prima salutationis officia deferens, eam his verbis leviter perstringeret: *Burgundia Ducissa, salvare te jubeo.* Illa facetam Regis cavillationem probe intelligens reposuit: „Natione & animo Gal-
„ la sum, ad cuncta Regis mandata
„ prompte exequenda omnium paratissi-
„ ma. „ Dein nonnisi septimum aut octavum diem Pleffiaci diversata, suppeditatis a Rege sumptibus itineri sese accinxit, erecto prius foederis instrumento, cujus duo apographa utrique parti tradita fuere. His pactis sancitum, quod
Rex

*Pleffis les-
Tours.**Commin. l. 4.
v. 4*

Rex liberos, ac Cambriensem, & Mon-Sæcul. XV.
 melianensem arces Ducissæ restitueret, A.C. 1476.
 eidemque denuo plenæ administrationis
 auctoritatem assereret. Rebus ita com-
 positis Ducissa voti compos facta, lætan-
 ti animo in Sabaudiam redibat, ac con-
 stanti deinceps amicitia vinculo Ludo-
 vico Regi juncta, pactum cum eo initum
 inviolabili religione coluit.

§. CII.

*Adversa Burgundiæ Ducis
 valetudo.*

Ceterum reapse Burgundus Campaniæ
 Gubernatoris facinus haud quaquam
 inultum reliquisset, nisi aliud gravioris
 momenti negotium exercitus sui reli-
 quias aliorum avocasset; Lotharingus
 enim copias suas Nancejensi urbi admo-
 vebat. Erat illa mille ducentorum præ-
 sidio munita, quos inter sub Duce Co-
 chino, & urbis Gubernatore Bieverio tre-
 centi erant natione Angli. Jamjam
 Lotharingiæ Ducis milites quadragesi-
 mum omnino diem in urbis obsidione hæ-
 rebant, & quamvis lento admodum pro-
 gressu mœnibus appropinquarent, nihi-
 lominus obsessi efflictim Burgundiæ Du-
 cem rogabant, ut civitatem ab hoste li-
 beraret. Ast iniquissimo eorum tempo-
 re Burgundus tum atræ bilis vehemen-

Bievers

Sæcul. XV.
A. C. 1476.

tia tantopere exagitabatur, ut non solum a corporis valetudine, sed etiam ab animi tranquillitate penitus discessisse videretur. Insuper tam gravi sanguinis æstu fervebat, ut nullo remedio pectus refrigerari potuerit, quamvis proscripito vini usu duntaxat hordei decocto potaretur. Cum vero paulo post nova bilis accessio succederet, non minori frigore torpebat, quam antea calore æstuabat, adeo, ut Medici nequidem generosissimo vino naturalem calorem revocare possent, testaturque Comminæus, quod curcubitæ accensa stupa repletæ pectori eo sine fuerint adhibitæ, ut earum ope refugus sanguis ad cordis sinum attraheretur.

Commin. l. 5.
cap. 5.

Potissimum vero Dux assidua curarum vexatione, atque animi angoribus noxiam humorum intemperiem nutriebat, quæ tandem in tetram melancholiam degenerabat. His malis agitated Campo-Bassio, ejus suprameminimus, negotium dedit, ut Nancejum obsidione liberaret. Hic autem insigni Ducis sui in eum fiducia adeo nihil commotus erat, ut etiam nova indies in ejus perniciem consilia animo volutaret.

§. CIII.

Nancejum Campo-Bassii proditione a Lotharingicæ Duce captum.

Quippe Campo-Bassius denuo Ludovicum

vicum XI. ad Burgundi excludium sollicitabat, opera usus Credoniensis Toparchæ, qui sub Franciæ vexillis cuidam expedito militum agmini in Barrensi Ducatu imperabat. Verum cum Rex ejusmodi facinori aures præbere denuo detrectaret, Campo-Bassius Lotharingiæ Ducem ad scelus inducit, eidem pollicitus, se impediturum, ne Burgundus Nancei obsessis auxilio adesset; huncque in finem vario commento Ducem Burgundiæ nonnisi quarto ab urbe Nancejana lapide cum suo exercitu distantem distinuit, eidem suggerens, præsidarios milites non usque adeo in arcto positos esse, ac illi perscriberent. Interea tamen urbs die sexta Octobris certis conditionibus se dedere parabat, cumque Angli, occiso eorum Duce Cochino, Gubernatoris imperia ultra accipere renuerent, ipsimet cum Lotharingiæ Duce de legibus dedendæ civitatis articulatim egerunt, & Gubernatorem, potissima præsidiariorum militum parte adversus eum concitata, compullerunt, ut deditiois pactionibus subscriberet. Ergo Nancejum Lotharingio traditur. Altera autem ab urbe capta die Burgundus cum copiis suis accurrit, acceptoque deditiois factæ nuntio cunctationem suam incusat, probe intelligens, urbem abs dubio hostibus fuisse liberatam, si celerius suppetias

secul. XV. petias attulisset. Nihilominus primas
A.C. 1476. eo curas intendit, ut saltem urbem undi-
 que cinctam teneret; Placuit hoc Du-
 cis consilium ceteris omnibus belli Præ-
 fectis, solus vero dissentiebat Campo-
 Bassius. Insignis enim hic proditor ur-
 bem juxta militaris disciplinæ leges to-
 to belli apparatu obsidendam pertinacius
 contendebat, eo duntaxat fine, ut faci-
 lius sua exequeretur consilia, quibus Bur-
 gundiæ Ducem aut occidere, aut sal-
 tem capere, ejusque exercitum delere
 moliebatur.

§. CIV.

*Detegendæ proditiōnis occasio a Bur-
 gundo neglecta.*

Igitur juxta Campo-Bassii sententiam
 Nancejum cunctis belli instrumentis op-
 pugnatur, arteque premitur. Lotharin-
 giæ Dux, usque dum suppetiæ eidem
 promissæ advenirent, saltem ingentem
 annonæ copiam urbi inferre aggreditur,
 Campo-Bassii sollicitationibus confusus,
 qui eidem liberum in urbem aditum
 spondebat. Nihilominus Burgundiones
 currus, quibus commeatus vehebatur, in-
 tercipiunt, cunctosque præsidarios mili-
 tes, qui plaustra comitabantur, aut truci-
 dant, aut capiunt. Hos inter erat Nobi-
 lis

lis quidam, natione Provincialis, ac no- Sæcul. XV.
 mine Suffronius Lotharingiæ Ducis fa- A. C. 1476.
 miliaris, qui ob frequens cum Campo-
 bassio colloquium totius conjurationis
 contra Burgundum adornatæ conscius
 erat. Quapropter perfidus iste Præfectus
 Burgundo auctor exstitit, ut Suffronium
 captum quantocius suspendio damnaret,
 quod & sine mora effectui datum est, a- Commin. l. 5.
 perte violatis belli juribus. Suffronius cap. 6.
 tam indigno mortis genere vehementer
 percussus, vitæ suæ consultum iri existi-
 mabat, si Campo-Bassii proditorem de-
 tegeret; hinc Duci significari fecit, ha-
 bere se, quæ eidem manifestaret, eaque
 tanta momenti esse, ut præter ipsum Du-
 cem hæc arcana nemini confidere posset.
 Hæc quidem edoctus erat Burgundus;
 ast Campo-Bassius dexterrime imminen-
 tem capiti suo calamitatem avertit, &
 confestim lictori ultima mandata dedit,
 Suffronium sine mora laqueo necaret;
 id & factum est, quin infelix ille Vir ea,
 quæ noverat, manifestare potuerit; Cam-
 po-Bassius vero hujus silentii beneficio
 tutus, jam ab omni metu vacuus erat,
 unde proditorem suæ consilia libere exe-
 qui aggrediebatur.

Secul. XV.
A. C. 147.

§. CV.

*Auxilia a Ludovico Lotharingio clam
submissa.*

Fervebant interea continua Nancejū urbem obsidentium studia; Cum vero Ludovicus clam Lotharingiæ Ducis auxilia suppeditare statuisset, hinc Credenensi Toparchæ exercitus sui, qui in Barenensi Ducatu erat, Præfecto literas dedit, iussitque, ut copias suas proxime, quantum ferret opportunitas, Nancejo admo- veret, nec tamen Lotharingiæ Ducis citationes transiret, simulque ingentem com- meatus copiam eo fine colligeret, ut hac ejus sollicitudine Burgundiones de- cepti subsidia obsessis parari crederent, proin ut Burgundiæ Dux quædam agri- na ab exercitu suo abstraheret, atque an- nonam in urbem inferri præpediturus ac- curreret. Præterea Galliarum Rex quasdam Equitum legiones militari sa- cramento absolvit, ut opportunam illis ad Lotharingii Ducis signa transeundi occasionem præberet. Tandem etiam Campaniæ ac Picardiæ Nobilibus ma- gna rationum vi exposuit, quantum eor- um interesset, Burgundionum incremen- tis obsistere. Hi aliunde horum poten- tia oppido pressi, faciles Regi aures præ- bebant, pluresque Nobiles arma capie- bant,

bant, opem Duci Lotharingiæ laturi. Sæcul. XV.
A.C. 1476.
Huic etiam Rex submiserat viginti tria aureorum millia, ut præter quingentos Germanos Helvetiorum decem millia conscribere posset.

§. CVI.

*Praelium inter utrumque exercitum;
Burgundionum clades.*

Recentem hanc militiam Lotharingius suis adjunxit copiis, tantaque alacritate processit, ut Burgundionum occursum præveniret, pontemque S. Nicolai occuparet. Obsessi tam prospero Martis auspicio novos induunt animos, quamvis se se hostium arbitrio dedere paulo ante parati fuissent. Burgundus re comperita viritum suorum Belliducum sententias rogat, hi omnes censebant tutius esse, ad Mussiponti urbis moenia se recipere, ibique erectis propugnaculis, iisque validissimis hostium impetus eludere; aiebant enim, exercitum vix quatuor bellatorum millibus constare, ac potissimum eorum partem adversa valetudine premi. Nihilominus Burgundiæ Dux Campo Bassii consilio permotus prælium decernit, suosque milites ex aggeribus, quibus sustinendis numero impares erant, extrahit, atque ad Nosocomium S. Magdalenæ castra metatur. Utrinque manus

Sæcl. XV. manus conferuntur, iniquissimo tamen
A.C. 1476. Burgundionum tempore; cum enim a-
 crior tum frigoris vis esset, & densissime
 nivium procellæ eorum oculos perfringe-
 rent, nec armis suis hostem secure la-
 cessere, nec Lotharingiorum ictus cau-
 tius declinare poterant. Hoc unicum il-
 lis restabat securitatis præsidium, quod
 in castris essent, quæ viarum angustiis,
 rivo, denso sepimento, collibus atque syl-
 va omni ex parte munita erant.

Lotharingiæ Dux, qua arte hostem
 aggredere, consilii inops, viam solis
 loci insolis cognitam edocebatur; eo-
 gitur cum copiis suis procedit, atque hu-
 jus semitæ beneficio bellica Burgundio-
 num tormenta ad primum agmen collo-
 cata peropportuna declinatione effugit,
 demum vero in sinistrum mediæ acies
 cornu, Burgundis nil minus cogitantibus,
 e summitate in imum toto impetu
 effusus est. Primos Lotharingiorum co-
 natus Burgundi equites intrepida animi
 fortitudine eludebant, pedestres vero, cum
 pedem referrent, ac in Sylvam fugerent,
 ibi a rusticis misere interempti sunt.
 Hoc agmen omnibus propemodum par-
 tim cæsis, partim captis penitus deletum
 est, & prima atque postrema acies con-
 specta mediæ agminis cæde effuso cursu
 contendit ad ignobile quoddam oppidum,
 Condatum nomine haud procul distitum
 a loco,

a loco, ubi Campo-Bassius fugitivos præ-
stolabatur; hinc una omnes, quotquot eo
venerant, capti, trucidati, vel exspoliati
sunt. Tum vero similis ruinæ strages
erat, pluresque in fuga, quam in ipso
prælio ceciderunt, ac non pauci eorum,
qui furentium gladios effugerunt, semet-
ipsos in anem præcipites dederunt, ibi-
demque misere perierunt.

§. CVII.

Burgundiæ Dux prælio necatus.

Commissa est hæc pugna die quinta Ja-
nuarii, quæ erat Dominica, ac vigi-
lia Ephiphaniæ Domini anno millesimo
quadragesimo septuagesimo septimo,
quamvis Comminæus eam ad annum
Domini millesimum quadragesimum
septuagesimum sextum revocet, nec abs-
re, si novi anni auspiciam a Mense Mar-
tio repetatur, pro usitata illius temporis
computandi ratione. Inter præcipuos
hoc prælio cæsos recensentur Joannes de
Rubemprato, Contajus, Croyus, Chimay, *Rubemprà*
& de Vetrivilla. Capti fuere Olivarius *Vieuvilla*
Marchianus, & Lalinus unacum Comite
Nassoviensi, Roetlingensi Marchione,
Contaji filio natu majore, juniore Comi-
te de Montecuto, utroque Notho Bur-
gundiæ, plurimisque aliis Nobilibus. I-
pse Burgundiæ Dux in prælio occubuit;
cujus

Sæcul. XV.
A. C. 1476.

cujus tamen mors aliquamdiu incognita fuit, ignoratumque, quod fatum subierit, donec altera post pugnam die Campo-Bassius quemdam Ephebum ad Lotharingiæ Ducem conduceret, qui Burgundum fuisse trucidatum testatus, cadaveris locum monstrabat. Corpus ejus sedulo quæsitum, recognitumque fuit, atque omnibus vestibus exspoliatum, ventre in terram projecto supinum jacebat, necnon glacie frigoreque concretum reperiebatur. Obiit tribus vulnibus confossus; quippe securis ictu maxilla per medium dissecta erat, lanceæ autem cuspide utraque coxa hinc inde transfixa viscebatur, ac denique hasta in anum altius descendente faucius erat.

Commin. l. 5.
cap. 8. ad fin.

Refert Comminæus, suorum nonnullos vidisse Ducem ex equo in terram delabi, nec tamen, cum ipsimet jam capti essent, eidem auxilium ferre potuisse, mox autem illum in eorum conspectu miserum in modum fuisse trucidatum; turmatim enim quosdam confluisse milites, atque ab eis minime cognitum fuisse jugulatum, ac demum vestibus spoliatum. Observant alii, Burgundum occubuisse in loco nonnisi centum passibus distante ab illo cubili, in quo olim de Connestabili S. Pauli Gallis in mortem tradendo mandatam proprio suo chirographo signabat. Mortuus est Anno æ-

tatis

tatis suæ quadragesimo sexto, Principatus circiter decimo. Ejus corpus Nance-
 jum jussu Lotharingiæ Ducis delatum, more Principum in sublimi strato collocatum
 fuit, atque in atrio nigro-holosericis au-
 læis ornato expositum. Scribit Mecerajus, *Mecer. Sy-*
 Lotharingium, cum ipse nigrum habi- *nops chronol.*
 tum indutus cadaver inspiceret, gestasse *hist. Lud XI*
 Barbam auream veterum, ut ajunt, He- *tom. 3. in 12.*
 roum more, atque aspersa aqua benedi-
 cta corpus Burgundi in primario Nancei ur-
 bis templo sepeliri curasse. Ceterum a vul-
 go, cui semper solemne vitium est nimia
 credendi facilitas, multo tempore crede-
 batur, Burgundum vivere, eumque e pu-
 gna elapsum fuisse, atque acceptæ cladis
 pudore compulsum in quadam eremede-
 litescere quamplurimi dicebant. Adde-
 bant, quod Dux ex hac solitudine
 non nisi post septem annos in pœnitentia
 transigendos prodire decrevisset; quini- *Gaguin.*
 mo complures in hac credulitate adeo *lib. 20.*
 erant obstinati, ut nummos ingenti fœ- *Nauclev. ge-*
 nore acceperint, ac tunc duplum redde- *ner. 50.*
 re sponderint, quando eorum Dux re-
 versurus esset. Hanc fabulam auxit no-
 ta Ducis melancholia, & cujusdam Viri
 fama, qui natione Suevus austeram vi-
 tam agebat, & staturam ac voce Burgundo
 haud absimilis erat.

§. CVIII.

P p

Hist. Eccles. Tom. XXIX.

Sæcul. XV.
A. C. 1476.

§. CVIII.

Vaticinium Angeli Catti de morte Ducis.

Comm. lib. 5. c. 3. **C**omminæus Burgundiæ Ducis obitum recensens testatur, Angelum Cattum Virum nominatissimum quondam hujus Ducis familiarem, cum post Moratense prælium relicto illius obsequio ad Ludovicum XI. transiisset, præfente Rege in Ecclesia Turonensi ad S. Martinum sacris operatum fuisse, atque eodem tempore, quo Nancejensis pugna committeretur, sacram patenam Ludovico deosculandam porrexisset, latinoque sermone dixisse:
 „ *Consummatum est, Pax tecum, potentissime Rex, dedit tibi Dominus pacem, tuum erit illa uti, hoc ipso temporis puncto deletus est Burgundi exercitus, & ipse prælio occubuit.* „ Ludovicus Catti Viennensis Archiepiscopi (ad hanc enim Ecclesiam jam antea a Rege nominatus erat) verba non sine altero nunc admirationis, jam gaudii affectu excepit. Videtur tamen, quod Rex æque ac Comminæus, atque Aulicorum quamplurimi jam antea piam de hoc Antistite opinionem conceperint, illumque Spiritu prophetico esse afflatum crediderint: Ludovicus enim mox nuncupato voto promisit, se cancellis sepulchrum
 S. Mar-

S. Martini septentibus antea ferreis, ar- Sæcul. XV.
 genteos subrogaturum. Id etiam exsol- A.C. 1476.
 vit Anno Domini millesimo quadriugen-
 tesimo septuagesimo nono, constructis cla-
 thris, quorum pondus constituebant sex
 millia septingentæ septuaginta sex selibræ
 argenti, duæ uncia dempta octava drach-
 mæ partesita testatur Auctor vitæ S. Marti-
 ni recens conscriptæ. Porro hic Viennensis
 Archiepiscopus idem ipse est, ad quem
 Comminæus persæpe in suis relationi-
 bus sermonem convertit, ejusque vitæ
 historiam ad calcem suorum operum ad-
 jecit.

Vid. edit.
 Comm. ann.
 1723. in
 5. volum.

§. CIX.

Turcarum expeditio in Moldaviam.

Cardinalis Papiensis hoc anno Mense Ju- Papiens.
 lio ad Mantuanum Cardinalem scribens epist. 648.
 significat, instructum fuisse a Mahomete II.
 exercitum quingentorum millium Turca Michov. lib. 4
 rum, eosque in Moldaviam descendere cap. 71.
 paratos esse. Ex Scriptoribus quoque Crom. lib. 28.
 Polonis intelligimus, Moldaviam ab ipsis
 quoque Tartaris invasam fuisse, ac Ste-
 phanum Vaivodam seu Palatinum, de
 cujus insigni victoria dictum est anno su-
 periori, obviam illis processisse, eisque
 ingenti clade fugatis, opimam prædam
 reportasse. Nihilominus Mahometes
 trajecto Danubio ubique infesta signa
 P p 2 intus

Sæcul. XV. intulit, & quamvis Stephanus variis
A.C. 1476. præliis ad triginta Turcarum millia trucidasset, levis tamen erat ejusmodi jactura in tanto infidelium exercitu: præterea Moldavi, sive quod viribus suis diffisi, sive Palatino suo haud amplius pari affectu ac studio addicti essent, unice ad suos reverti contendebant, hanc ob rem & ipse Stephanus se benigniori fortunæ servare cogebatur: Turcæ autem depredatis nonnullis Provinciis Poloniæ finitimis ad sua quoque revertebantur, forte quod Casimirum, qui adversus eos movebat, pertimescerent, aut pestilentiæ & famis vi, qua non sine ingenti strage absumebantur, secedere compellerentur, sive denique quod hiems appropinquasset, & classis, quæ novam militiam, & machinas ad expugnandas munitiones subvehebat, sæva tempestate disjecta, ac pene integra periisset.

§. CX.

Regis Hungariæ vana jactantia de Turcarum recessu.

*Papiens.
 epist. 656.*

Matthias Hungariæ Rex, ubi cognovit Mahometis exercitum recessisse, Turcam a se pulsum fuisse, solita sua jactantia ubique divulgabat. Idem quoque nimia facilitate credebant ipse summus Pontifex, omnesque Principes, populi,

puli, atque potissima urbium pars; qua-
 propter hi omnes ducenta Aureorum Sæcul. XV.
A.C. 1476.
 millia Matthiæ in prætensæ fortitudinis
 præmium, necnon pro sustinendis belli
 sumptibus suppeditabant. Ad has ta-
 men suppetias Mediolanensium Dux ni-
 hil conferre voluit, eo quod minus credu-
 lus sibi tam facile imponi haud patieba-
 tur. Ex adverso Ferdinandus heroica
 hæc Matthiæ facinora multis deprædi-
 cabat; hujus enim gloria in proprium
 quoque redundabat honorem; quippe
 Matthias Beatricem spuriam Ferdinandi
 Filiam duxerat.

§. CXI.

Matthiæ clades a Turcis illata.

Verum Regis factus paulo post detege-
 batur; Turcæ enim factis excursio-
 nibus Carniolam, Carinthiam, & Stiriæ
 partem foede vastabant, ac omnia cædi-
 bus replentes plurima Christianorum
 millia secum captiva abducebant, mox-
 que plurimas munitiones vi expugnabant,
 eo majori audaciæ ac furoris fiducia,
 quod Mahometem ipsum cum validiori-
 bus copiis haud longe distantem compe-
 rissent. Bonfinius, qui Matthiæ laudes
 describendas suscepit, hanc cladem haud
 diffitetur, asseritque, quod Mahometes,
 cum ad solemnia nuptiarum, quæ Rex
 P p 3 cele-

Sæcul. XV. celebraturus esset, totam ferme Hungariam confluere cerneret, hanc occasionem exequendis suis consiliis peropportunitam existimaverit, ac propterea clam quadraginta armatorum millia coegerit, & castella, quæ Matthias extruxerat, expugnauerit, captisque omnibus propugnaculis totam Daciam seu Mæsiam longe lateque victoriis suis emensus, cuncta igne ferroque vastauerit, demum quadraginta hominum millia utriusque sexus promiscua crudelitate abstraxerit. Hæc damna Regis Hungariæ mentem usque adeo dejiciebant, ut nihil ultra aduersus Turcarum insultus moliri auderet.

Papiens.

epist. 644.

Kranz. l. 13.

Blond. 18.

Nihilominus Summus Pontifex Matthiæ triumphos ad sydera usque extolabat, ac publicas preces pro felici armorum successu indicebat: siquidem Papæ persuasum erat, Regem tunc pro salute Reipublicæ Christianæ durissimam hiemem tolerare: cum tamen is toto illo tempore nuptiarum solemnibus intentus, domi tranquillam vitam ageret.

§. CXII.

Turcarum victoria de Venetis reportata.

Nec minus secunda Turcarum armis auerant fortuna in ipsa Italia; atrocissimo enim prælio periit Hieronymus Veronen-

ronensis exercitus Veneti Præfectus; *Sæcul. XV.*
 Turcarum vero Dux Marbegus, quem a *A.C. 1476.*
 Ilii Asabegum nominant, Vir fortissimus,
 & militari peritia longe clarissimus, in
 eadem pugna vulneratus est. Hic to- *Justiniani*
 tam quaquaversus regionem igne ferro- *lib. 9.*
 que devastabat, & multis captivorum
 millibus in servitutem abstractis, tantum
 ubique terrorem inferebat, ut Venetis
 vires & animus exciderent. Stupenda *Sabellic. 3.*
 quoque sunt, quæ Sabellicus ipse vidis- *dec. 10.*
 se testatur, & refert de temerariis, atque
 audacibus infidelium ausibus adversus
 Alpium difficultates, quas cum tam co-
 piose exercitu impigre superabant: ube- *Phranz. 1. 3.*
 riores tamen Turcarum progressus Caroli *cap. 30. &*
 Montonii, qui Venetarum copiarum Præ- *lib. 1. c. 35.*
 fectus erat, prudens cunctatio irritos
 fecit.

Hujus cladis Gregorius Phranzes Im-
 peratoris Græcorum olim Aulicus me-
 minit, ibique Chronicon suum Bizanti-
 num, ab anno Domini millesimo ducen-
 tesimo sexagesimo inchoatum absolvit.
 Hunc Monachi habitum induisse, jam a-
 libi memoravimus, & adhuc aliquot annos
 egisse constat, cum Mahometis Impera-
 toris res gestas complexus esset; hic e-
 nim post hæc omnes belli expeditiones
 nonnisi quinto abhinc anno deceffit.

Sæcul. XV.
A.C. 1476.

§. CXIII.

Maximus in Patriarcham Constantinopolitanum electus.

*Turco-
Græc. l. I.
§ 2.*

Sublato e vivis Raphaele, qui in Patriarcham Constantinopolitanum Anno millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto in Græcia eligebatur, coacta fuit a Græcis Synodus pro Successore eligendo. In ea post diurnam consultationem unanimi omnium consensu susceptus est Manuel Ecclesiarcha, seu ille, cui Ecclesiarum cura est commissa. Vir erat scientia & morum integritate conspicuus, qui jam antea ob fidei defensionem narium mutilationem tolerabat. Hunc Monachorum instituto adscriptum Græci, apud quos Episcopus fieri non poterat, nisi prius esset Monachus, ad Mahometem adduxerunt, ac continuo pro novi Patriarchæ ingressu quingentos aureos, præter alios bis mille pro tributo singulis annis pendendo numerarunt. Neo-electus Patriarcha mutato suo nomine Maximus appellari voluit, sub cuius Pontificatu tanta pace Ecclesia fruebatur, ut cum nominis ejus fama ad Mahometem perveniret, eidem colloqui voluerit, & plurium fidei nostræ capitum explicationem ab eo petierit, quam etiam luculentissimam ab eo accipiebat, virique pruden-

prudentiam, ac suarum responsionum soliditatem plurimum admirabatur, nec tamen propterea usque ad obitum suum Christianos divexare cessabat.

Sæcul. XV.
A. C. 1476.

§. CXIV.

Sacrilegum Galeatii Sfortiæ Mediolanensium Ducis parricidium.

Eodem anno die vigesima sexta Decembris Galeatius Mediolanensium Dux, in hac eadem urbe ante fores Ecclesiæ ad D. Stephanum ex insidiis trucidatus est; nunc vero occasionem sacrilegæ hujus cædis recenseamus. Joannes Andreas Lumpugnanus ex nobili, atque illustri Mediolanensium familia ortus, ac inter Aulicos Francisci Sfortiæ nutritus erat. Hic de possessione cujusdam beneficii cum suo æmulo Novocomiensi Episcopo ex Castellionum genere nato contendebat: cum autem Episcopus gratia atque auctoritate, qua apud Ducem plurimum valebat, suffultus, litis decisionem ad plures annos extraxisset, Lumpugnanus sæpius, non sine verborum vehementia atque intentatis quandoque minis de Judicum lentitudine apud Ducem conquestus est, quin imo die quadam inter cetera, quæ Galeatio objectabat, furore accensus dixit, Ci-

*Epist. Card.
Robert. apud
Marten. th.
nov. t. 1.*

Corio part. 6

*Ripamont.
hist. eccl.
Mediol. 1, 13.*

Sæcul. XV.
A.C 1476.

Visconti

vibus jura denegare, nefandum crimen esse. Dux objurgatione offensus, liberius loquenti mortem minitabatur. Exinde autem Lampugnanus acriori ira commotus, ab illo temporis articulo unice curas eo intendit, ut Galeatium sicariorum ope e medio tolleret. Ea etiam, quæ animo volutabat, Hieronymo Oligiato adolescenti non minus generis nobilitate, quam scientia & fortitudine inlyto communicavit, eumque facili negotio ad suas partes pertraxit. Hi paucis post mensibus in conjurationis societatem tertium vocant quemdam Carolum nomine, qui ex præclaro Vice-Comitum sanguine progenitus, tum secretioris Senatus apud Ducem Secretarius seu omnino Cancellarius erat. Paulopost Joannes & Hieronymus nimis facilitatis, qua Carolum conspirationis confcium reddiderant, poenitudine moti, eundem interficere statuunt, postera vero die melius explorata ejusdem fide omnes Tres unanimi voto Galeatii necem decernunt. Tandem etiam audendi copiam, quam dudum speraverant, opportuna occasio præbuit; die enim vigesima sexta Decembris Sancto Stephano sacra explorabant, quod Galeatius Dux ad divi S. Martyris Ecclesiam accessurus esset, ut ibidem rei divinæ solemni ritu peragendæ assisteret. Igitur conjurati ante
ipsum

ipſius adventum templum ingrediuntur, Sæcul. XV.
A.C. 1476.
& Joannes ad Galeatium, qui equo ve-
ctus cum ingenti militum ac Auſulicorum
comitatu Eccleſiæ foribus appropinqua-
bat, propius accedit, perinde ac ſi con-
fluentis populi turbam ſubmovere, Duci-
que magis expeditum accessum parare
vellet; mox autem extracto, quem oc-
cultaverat, pugione Ducem unico, eoque
lethali ictu conficit, ſuis illico ſociis in
opem concurrentibus, qui Galeatium a ter-
go adorti multis plagis confoffum exani-
mem relinquunt. Cæſus eſt Galeatius
quatuordecim vulneribus, quorum unde-
cim erant mortifera; exhalavit animam
nihil effatus, ac nonniſi leve, vixque ab
adſtantibus perceptum cordis ſuſpirium
emittens. Satelles quidam Joannis An-
dreæ famulum, qui & ipſe Ducem ſau-
ciaverat, gladio percuffit, quem tamen ce-
teri duo Joannis ſocii protinus necarunt,
hujus mortem vindicaturi. Joannes ve-
ro Andreas vitæ ſuæ conſulturus ad
Eccleſiam confugit, ſed a ſceminis in
genua procumbentibus præpeditus, nulla
mora a militibus occiſus eſt: Hierony-
mus & Carolus interea ſeſe hominum fre-
quentiæ immiſcentes, nec ab ullo co-
gniti, ſolido biduo apud ſuos amicos de-
liteſcebant, tandem vero proditi, captique
in Mediolanenſem carcerem conjicie-
bantur, ac denique ſententia capitis in
eos

Sæcul. XV. eos lata, quadrifariam dissecti sunt. Cum
 A C. 1476. vero Galeatii Senatores ex Hieronymo
 atrocissimis quæstionibus subjecto scisci-
 tarentur: qua caussa permotus manus
 sanguine Principis sui polluere præsum-
 pserit: id a me factum, respondit, „quia
 „ vos graviori quam ego in Ducem o-
 „ dio ferri compertum habebam, ac ipsius
 „ mortem multis votis desiderasse, nec
 „ tamen intulisse sciebam, eoquod vobis
 „ animus, non voluntas deesset. Nec me
 „ parricidii recens patrati poenitet; eae-
 „ nim inveterata est in mente mea opinio,
 „ humani consortii indignum esse Prin-
 „ cipem, qui omni violata promissorum
 „ fide, tantisque sceleribus, omnibus exo-
 „ sum, atque detestabilem sese reddidit.
 „ Unice publicam populi salutem specta-
 „ bam. Nulla mihi cura est vitæ mee
 „ nec amplius mortem reformido, dum
 „ Tyrannum e medio sublatum scio. „
 Plura adhuc alia effutiebatur Hieronymus,
 duosque suos socios ad parem constan-
 tiam adhortabatur; sicque sub carnificis
 manu vivere desiit, semperque sacrilegum
 suum facinus abominandis obtentibus at-
 que rationibus honestare nitebatur.

§. CXV.

*Joannes Galeatius - Maria occisi
 Successor.*

Galeatius, quamvis solutioris vitæ li-
 centia

centia deformis esset, nihilominus ob liberalitatem, magnificentiam, literarum studium & benevolentiam in Viros scientia claros multum laudatur. Trucidatus obiit anno ætatis suæ circiter trigesimo tertio, sepultus insigni pompa in Majori Ecclesia sanctæ Mariæ. Ingens ex ejus obitu tumultus in civitate Mediolanensi exoriebatur, adeo, ut summus Pontifex pacem Italiæ concidisse vehementer timeret, eoquod plurimi Principes suas quisque spes ad hunc Ducatum jactare coepissent. Mox tamen sedatis per urbem turbis Joannes Galeatius Maria filius defuncti primogenitus adhuc puer Dux proclamatus est, positusque sub tutela Matris suæ, cui præcipuorum Procerum Senatus ad hoc speciatim constitutus adjiciebatur.

§. CXVI.

Bellum inter Ferdinandum Arragoniæ, & Alphonsum Lusitanicæ Reges.

Hoc anno summus Pontifex Matrimonium Alphonsi Lusitanicæ Regis cum Joanna Henrici Castellæ Regis Filia nullum irritumque esse declarabat, licet prævie summus Pontifex legis gratiam secisse diceretur, quam tamen Sixtus IV. per

Secl. XV.
A.C. 1476.

Sæcul. XV. per falsam rei narrationem impetratum
A.C. 1476. fuisse assererat. Ea res percommode ac-
 cidit Ferdinando Arragoniæ Regi, qui
 Isabellam ejusdem Henrici sororem sibi
 uxorem duxerat; quapropter adversus
 Alphonsum copias suas educit, atque in
 agro Tyrum inter & Senticam sito, præ-
 lium committit, æquato pene utrinque
 victoriæ, cladisque fato; quippe dextrum
 Castellanorum agmen, cui ipse præerat
 Ferdinandus, a sinistra Lusitani exerci-
 tus acie, Ductore Joanne Principe ca-
 sum fugatumque est, ex adverso dexte-
 rum Lusitanorum cornu, cui imperabat
 Alphonsus, hoste acrius irruente penitus
 disjectum fuit. Unde præcipiti fuga to-
 tam regionem usque ad Nuganum Ca-
 strum emetiri coactus est Alphonsus, ibi-
 dem a Petro de Mendaha illius Guber-
 natore perhonorifice exceptus. Interea
 Lusitani cum de Regis sui sorte nullam ha-
 berent notitiam, eum mortuum esse arbi-
 trati, seditionem movebant, cujus oppor-
 tunitate Ferdinandus scite usus, cunctas
 olim ab Alphonso occupatas urbes recu-
 peravit, eodemque infestæ fortunæ cursu
 Castellani Joannæ partibus studiosi dereli-
 cto Alphonso cum Ferdinando pacem in-
 ierunt: quo facto Lusitaniæ Rex omni
 spe dejectus, in Gallias ipse contendere
 compulsus est, ut Ludovicum XI. ad infe-
 renda

*Castro - Nu-
 gno.*

renda Ferdinando arma permoveret. Sæcul. XV.
 Ast nec hisce consiliis secundus collusit A.C. 1476.
 eventus.

§. CXVII.

*Adventus Lusitani in Franciam.**Colloquium cum Rege.*

Primo igitur Alphonfus Mirandam concessit, demum Regni Administrationem suo Filio concedidit, ipse vero Turones contendit, Regem Franciæ adiuturus. Ab eo perbenigne quidem excipiebatur, nihilominus Ludovicus XI. eidem sine ambage declarabat, sibi integrum non esse, novis belli tumultibus sese implicare, priusquam sibi plenum ab armis Burgundiæ Ducis, qui tum adhuc vita superstes erat, otium esset, reique exitum comperisset. Quare Alphonfus spe fretus, quod præsentia sua inter Ludovici & Burgundi dissidentium animos facile concordiam redintegraturus esset, ac conciliata pace opem ab eis impetrare posset, ipse Ducem tum Nancei obsidione distentum accedit; cum vero eundem sibi devincire desperaret, post bidui moram, quam in ejusdem castris trahebat, re infecta ad Ludovicum XI. reversus est.

*Com. 15. c. 7.**Inhoff. Reg. Lusit.**Marian. hist. Hisp. l. 24.*

§. CXVIII.

Sæcul. XV.
A.C. 1476.

§. CXVIII.

*Romam sub alieno habitu profectus,
in itinere captus.*

Verum Alphonsus ibidem a metu haud vacuus erat; timebat enim, ne eum Galliarum Rex Ferdinando hosti suo traderet. Unde ad Joannem filium suum literas dedit, eidem denuncians, ut pleno jure ac regia potestate impofterum Lusitanis imperaret, nec deinceps ullam Patris sui curam haberet. Ipse vero postea mutata veste, sine comite Romam versus clam sese itineri accinxit, eo fine, ut ibidem in quodam monasterio religiosa castra sequeretur, ac per solitudinis quietem dolorum vehementiam temperaret. Verum a nonnullis in via cognitus, a quodam Normanno, Robineto Boe nomine, interceptus est. Ludovicus re compta adversam Alphonsi sortem vehementer miseratus, ut luculento testaretur argumento, Alphonsum temera suspicione motum credidisse, quod eum inimico suo tradere molitus esset, confestim in Normanniæ oris plures naves omni armorum apparatu instrui jubet, eisque Georgium Legerum præficit, dato negotio, ut Lusitanum Regem in libertatem assereret. Valuit successus; Legerus enim Alphonsum omnino liberum feliciter

le Bœuf.

ter in Lusitaniam reduxit. Hunc Joan- Sæcul. XV.
 nes Filius ejus ingenti animi sui lætitia A.C. 1476.
 in oppido Casales excepit, eumque Re-
 gni habenas resumere amica vi compulit,
 quas etiam aliquot adhuc annis modera-
 batur, omni tamen Castellæ potiundæ spe
 dejectus; postea tamen Principes de hoc
 Regno contententes litem inter se amice
 componebant. Philippi Comminæi con- Com. l. 5. c. 7.
 jectura est, quod Alphonsus, si ei Ludo-
 vicus Rex mature copiarum subsidia mi-
 sisset, facili negotio totum hoc Regnum
 in suam potestatem redegisset, pluribus
 ejusdem urbibus jamjam illius imperio
 subjectis. Sub Alphonfi Regno ac fer-
 ventibus tumultibus hoc anno suscitatis,
 ejus subditi incognitas quasdam in Ame-
 rica Regiones detexerunt, ibidemque
 Joannes Santarinus, & Escobarus ca-
 strum, Mina dictum, construi fecerunt, & S. Georgio!
 Ferdinandus de Po Insulam a se detectam della Mina.
 a suo nomine *Insulam Ferdinandi* nuncu-
 pavit; Segurra autem Promontorium
 S. Catharinæ invenit, quod hoc nomine
 insignivit, eoquod ipse eadem die huic
 Divæ sacra ibidem appulisset.

§. CXIX.

*Ludovici XI. consilia de occupanda
 utraque Burgundia.*

Ludovicus XI. Galliarum Rex, cum
Hist. Eccles. Tom. XXIX. Qq jam-

Sæcul. XV. jamjam Anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto **A.C. 1477.** Verdariorum equorum usum instituisse, brevi per Cursorem publicum a Cremonensi Toparcha missum Burgundici exercitus cladem apud Nancejum intellexit, necdum tamen ipsius Ducis mortem edoctus erat. Incertum Burgundi fatum Regem, ne præconcepta exequeretur consilia, aliquamdiu suspensum tenebat, mox tamen habita obitus illius notitia in eo totus erat, ut quasdam Defuncti ditiones occuparet. Quapropter utriusque Burgundiæ Proceres, alias Ducissæ Burgundiæ hæredi apprime addictos, sibi devincire conatur, ad suas quoque partes pertrahit Antonium de Burgundia Nothum Ducis fratrem in Nancejensi proelio captum. Hic, cum a Lotharingiæ Duce ad ferventes Regis preces in Franciam mitteretur, tot favoribus a Regia sua Majestate cumulabatur, ut relicto priori suo Principe se Regis Franciæ obsequio dicasse prorsus nulla eum poenitudo subiret. Præterea Ludovicus, postquam Nobiles de Novo castro, necnon Vergienses, Viennenses, & Cabilonenses Proceres sibi conciliaverat, jam suas partes adeo potenter firmasse existimabat, ut ea, quæ peteret, ex plurimorum suffragiis se obtenturum speraret, quocirca sub finem Mensis Januarii hoc anno millesimo

lesimo quadringentesimo septuagesimo Sæcul. XV
 septimo omnes Burgundici Ducatus Or- A C. 1477.
 dines convocavit.

§. CXX.

*Rationum momenta ad occupandas Bur-
 gundicæ hæredis Provincias
 a Rege allata.*

Ludovicus Rex per suos exponi curavit,
 se contra hæredem Burgundicam tri-
 bus munitum esse titulis. I. Sibi tanquam
 supremo Domino jure beneficiario debe-
 ri Burgundiæ Ducatum, præter Flan-
 driæ, Arthesiæ, & Carolesii Ducatus,
 pluresque alias Belgii ditiones. II. Se
 esse Ducissæ genere proximum, proin sibi
 ex propinquitatis legibus curam incum-
 bere, ne illius bona ad extraneos trans-
 irent. III. Se hanc Filiam e sacro fonte
 suscepisse, & hoc quoque nomine se ab
 Ordinibus Burgundis postulare, ut Bur-
 gundiæ Ducatus suæ custodiæ tradere-
 tur, donec ipsa hæres cunctas sibi a suo
 Patre relictas ditiones penitus vindi-
 casset; se vero illis Regiam suam fidem
 obstringere, quod eidem tunc præfatum
 Ducatum ingenue ac integre redditurus
 esset. Cum ergo Burgundiæ Ordines
 Regis petito annuerent, ipse Burgundici
 Ducatus possessionem accepit, exceptis
 quibusdam urbibus, quas eidem cedere

Q q 2

renue-

Sæcul. XV. renuebant. Nec tamen pari successus
A.C. 1477. facilitate obtinuit Burgundiæ Comita-
 tum, qui hodie Sequanorum tractus seu
Franche-Comté appellatur, quamvis nulli
 solertiæ pepercisset, ut eundem quoque
 in suam potestatem redigeret.

§. CXXI.

*Nonnullæ urbes in Picardia & Ar-
 thesia a Rege occupatæ.*

Nec his contentus Ludovicus, quas-
 dam etiam Picardiæ, Arthesiæ &
 Flandriæ urbes, perinde ac si prædia be-
 neficiario obsequio Gallicæ Monarchiæ
 obnoxia essent, occupare molitur, missis
 in hanc rem Borbonii Notho ac Commi-
 næo. Jam antea Torcyus, qui ad Re-
 gis partes transibat, Abbavillam subegit;
 non æque tamen facilis, atque expedita
 erat Atrebatensis urbis deditio; Dux
 enim Burgundiæ hujus urbis Præfectus
 designabat Ravensteinium Clivienfis Dy-
 nastæ fratrem, & Crepicordiensem Do-
 minum, qui alio nomine Cordæus, seu
 Desquerdus dicebatur. Hi Regi expo-
 nebant, Atrebatensem Comitatum clien-
 telare quidem prædium esse, ejus tamen
 conditionis, ut nonnisi ad foeminas de-
 volvi posset; illud enim a Margarita
 Flandriæ Ducissa ad Burgundicam fami-
 liam fuisse translatum; cum ergo Maria
 unice

*Commin.
 l. 5. c. 11.*

*Cleves.
 Creveccœur.
 Cordes.*

unice in Patris sui jura succederet, illam quoque solam hujus urbis hæredem esse; de cetero inducias inter Burgundiæ Ordines & Franciam sancitas nondum exspirasse, proin omnino congruere, ut huic Orphanæ saltem integrum esset, quatenus Patris sui tam iniquo funestoque tempore sibi fatis erepti mortem in pace deplorare valeat. Ambo hi Proceres cum Regiis Deputatis in Abbatia Montis S. Eligii prope Atrebatum mutuo congregiebantur; verum eorum consultationes brevem admodum moram tenebant; quamvis Comminæus ibidem diutius moraretur, spe fretus, se nonnullorum Procerum animos Regi devincturum, valuitque successus; hi enim postmodum integra fide Ludovici obsequium profitebantur.

§. CXXII.

Connubium Mariæ de Burgundia cum Delphino Regi propositum.

Nihilominus Rex Turonibus profectus, Atrebatum contendit, datisque pluribus literis hujus ditionis Proceres suis consiliis accedere sollicitat. Adhuc in itinere constitutus erat, cum oppidum S. Quintini, Bunium, Peronnam, & Hamonam urbes in Franciæ obsequium rediisse, non sine ingenti lætitia intelligeret;

Sæcul. XV.
A.C. 1377.

geret; unde eodem temporis momento mutavit consilium, quo prius Filiam Burgundiæ Hæredem Delphino suo in uxorem tradere statuerat. Verum in hoc Ludovicum valde imprudenter egisse existimat Comminæus. Equidem Princeps iste nonnisi septimum, Burgunda vero jamjam vigesimum primum ætatis annum emensa erat; nihilominus Rex eandem cum alio quopiam Regni Principe, ac forte cum Engolismensi Comite Francisci I. Patre jungere potuisset. At acerbæ in Burgundicam stirpem aversioni Rex debebat, quod inconsulto sententiam mutasset: licet Flandri hæc nuptias ardentibus votis exoptarent, & Nobiles Viri, qui Ducissæ a consiliis erant, ab ea ablegari peterent, ut Ludovico XI. hoc nuptiale foedus proponerent. Erant hi Imbercurtius, Veriensis, Gruithusius, Hugonectus Cancellarius, pluresque alii, quibuscum Rex frequens habebat colloquium, ut eorum animos a Ducissa alienare, sibi vero illos conciliare posset. Verum Ludovici consilium eventus fefellit; hi enim a propositione Regi mox facta nullo pacto dimoveri poterant.

la Vere.

Quippe Peronnam, ubi tum Ludovicus agebat, delati, atque ad colloquium Regis admissi, denuo Ducissæ suæ nuptias cum Delphino exponunt. Rex repulsæ

pulsæ caussam unice in nimis teneram Sæcul. XV.
 Filii sui ætatem, & gracilem atque imbe- A C. 1477.
 cillam corporis habitum referebat. Ve-
 rum ex hoc ipso responso Deputati haud
 obscure intelligebant, Regem in Delphini
 nuptias minime consensurum, quapropter
 Burgundam Engolismensi Comiti jungen-
 dam proponunt. Ad hæc Rex arrogan-
 tius respondit, se fatali novem annorum
 experientia edoctum fuisse, quot malo-
 rum discrimini exposita esset Francia, si
 ea regii sanguinis Principem sibi vicinum
 pro Belgii Domino haberet, cum ergo Gal-
 lia Deo adjutore ab ejusmodi propinquo li-
 berata fuisset, sollicitè curaturum se, ne
 denuo in eadem conjiceretur pericula;
 rebus suis minus imminere discrimen, si
 Maria de Burgundia potius cuicumque
 alteri nuberet Regi, quam Principi ex
 Gallorum sanguine nato, nisi saltem Ma-
 ria, ejusque subditi præstolari vellent
 tempus, quo Delphinus ablato ætatis vi-
 tio uxori maturus esset. Hoc sermone
 Flandri haud parum turbati, in eam ab-
 ducebantur opinionem, quod Ludovicus,
 priusquam de connubio ageretur, ple-
 num urbium & Provinciarum, quas Bur-
 gundica Domus tenebat, dominium sibi
 assertum percuperet, ne forte temporis
 tractu præsumi posset, cunctas istas di-
 tiones duntaxat uxorio nomine, non au-
 tem beneficiario jure, quod deficienti-

Sæcul. XV. bus masculis ad Franciam devolveretur,
 A.C 1477. Galliarum Regibus restitutas fuisse.

§. CXXIII.

*Atrebatum a Rege petatum atque
 obtentum.*

Confista hæc opinio firmius infedit
 Flandrorum animis. Præterea eis-
 dem Ducissa in mandatis dederat, nulli
 parcerent labori, ut firmatis cum Del-
 phino nuptiis ipsa Delphinæ honorem
 consequeretur. Hanc ob rem iterato
 Regem rogabant, ut mentem suam ver-
 bis magis perspicuis explicaret; cum
 vero Ludovicus Atrebatensem urbem,
 cujus Gubernator erat Cordæus, sibi
 tradi peteret, respondebant illi, ante
 omnia civium animos ad Gallorum amo-
 rem scite inclinandos esse, seque huic rei
 promptam daturus operam, ipsamque
 Ducissam inducturos, ut ibidem Sena-
 tum ex Viris Franciæ studiosis atque ad-
 dictis compositum stabiliret. Præterea
 ut Ludovici votis satisfacerent, eumque
 de datæ fidei veritate convincerent,
 a Ducissa scriptam, ejusque sigillo muni-
 tam exhibebant epistolam, in qua ipsa pol-
 licetur, quod cum Francia amicitiae fœ-
 dus inire, ac Senatum instituere velit,
 qui nonnisi ex quatuor viris cunctis Gal-
 licæ Nationi impense addictis composi-
 tus

tus esset. Nominabat autem illa Burgun-
diæ Ducissam ejus Novercam, Ravenstei-
ni illius Patrum, Hugonectum Can-
cellarium, & Imbercurtium. Tunc pri-
mum Regis consilio omnis collusit even-
tus. Quippe Flandri excepto Crepicor-
dio, qui adhucdum apud Regem perman-
nebat, Gandavum, ubi Maria de Bur-
gundia agebat, revertebantur, ac Ducif-
sam inducebant, ut Ludovico XI. Atre-
batensem civitatem traderet. Mox Cre-
picordius Atrebatum contendit, ut Lu-
danum cum valido præsidio in urbem in-
troduceret, ac demum ad Regem rediret.
Post hæc nonnisi de firma civitatis posses-
sione agebatur; cum enim illam Ludanus
graviter exactionibus premeret, vere-
bantur cives, ne itidem pari tyrannide ve-
xarentur, hinc Duacenses in auxilium
vocabant, ut sese adversus Gallorum vio-
lentiam tuerentur. Attamen hæc copiæ,
cum iter ad urbem agerent, cæsæ fuga-
tæque fuerunt, ipse quoque Vergius, qui
eis imperabat, captus, in angustum ac
tenebrosum carcerem coniectus est, ex
quo nonnisi ad Ludovici XI. partes trans-
eundo ereptus fuit, ipsa ejus Matre filium
ad hoc sollicitante; cum illa omni alio
libertatem ejus redimendi medio desti-
tuta esset.

Sæcul. XV.
A.C. 1477.

Du Lude.

Sæcul. XV.

A.C 1477.

§. CXXIV.

*Urbis portæ ab Atrebatensibus
ultra Regi aperta.*

Atrebatensis urbis cives suorum clade plurimum turbati fuere, auxitque eorum terrorem inopinus Regis adventus, qui altera die cum exercitu suo urbem cinxit, magnamque illorum partem, quos antea proelio cœperat, laqueo suspendi, ac tormenta bellica adversus civitatem locari iussit. Postmodum Crevecurius seu Crepicordius Atrebatum accedere ausus, tanta dexteritate civium animos demulcebat, ut ipsi Gallis ultra urbis suæ portas aperirent. Rex quantocius civitatem numeroſo præſidio muniri, ac quosdam magis seditiosos suspendio caſtigari præcepit, civibus vero ſexaginta aureorum millium mulctam indixit. Nihilominus eorum nonnulli eo perſicaciæ devenerunt, ut potius mortem oppetere voverint, quam exclamare: *Vivat Rex!* Hac eadem occasione Ludovicus XI. abrogato Atrebatum nomine urbem *Franchisiam* seu *Francicam* appellari voluit, unde hodie in quibusdam instrumentis publicis scriptum legitur: *Franchisia, alias Atrebatum.* Nec tamen id obtinere valuit; urbs enim apud omnes avitum suum nomen hodie sibi vindicat.

§. CXXV.

*Gaguin hist.
Franc. l. 10.*

§. CXXV.

Secul. XV.
A.C. 1477.

*Britanniæ Cancellarius jussu Regis
carceri datus.*

Cum Atrebatum tormentis quateretur,
Calvinus Britanniæ Cancellarius *Chauvelin.*
Regem in suis castris adibat, ut eidem
Ducis sui nomine fidem obsequiumque
profiteretur. Verum vix equo descende-
rat, cum ipse, unacum toto comitatu
suo Ludovici jussu comprehensus esset,
insuperhabito pacis foedere, quod inter
Regiam suam Majestatem atque Britan-
num in Abbatia Victorix prope Sylva-
nectum firmatum fuerat. Jam duodeci-
mum diem Cancellarius in carcere age-
bat, demum vero illum Rex ad se venire
jussit, dixitque: non aliam ob causam
custodiæ datus fuisti, quam quod ex-
ploratum habeam, Ducem Dominum
tuum adversus Franciam clandestina cum
Angliæ Rege communicare consilia; cum
vero Cancellarius vel cum vitæ suæ peri-
culo in se reciperet, quod Dux ab hoc cri-
mine immunis esset, Ludovicus ei duas &
viginti epistolas ipsa Ducis manu exarra-
tas, & alias duodecim ab ejus Secretario
scriptas ac nonnisi Ducis sigillo munitas,
demum decem alias ab Angliæ Rege da-
tas exhibuit, has cum Cancellarius per-
legeret, attonito similis nil promptum
habe-

Secul. XV. habebat, quod responderet, Domini sui
A C. 1477. chirographum probe cognoscens: quare
 Regem obsecrat, ut hasce literas ipsi
 committeret ad Britanniae Ducem dele-
 rendas. Annuit Rex Cancellarii votis.

Vid. infra
lib. CXIV.

§. 167.

Landais Vi-
tré.

Dux vero perspectis hisce literis, in
 suspicionem perfidiae trahebat Secreta-
 rium suum, Landasium nomine, Victoria-
 ci cujusdam Sartoris filium, qui per vi-
 rios gradus tandem in paucis Ducu ca-
 rus omnium arcanorum arbiter factus
 est. Landasius objectum sibi crimen pe-
 nitus a se amovit, ab illo tamen, cui hasce
 literas deferendas dedisset, proditum
 se fuisse suspicabatur, nec eum sua fese-
 lit opinio; Cursor enim auro corruptus,
 cuidam Galliarum Regis exploratori il-
 las concessit literas, hic vero cum sigilla,
 & scribentium manum exacte imitandi
 arte praeditus esset, adulteratas ejusmodi
 epistolas Cursori reddiderat, chirogra-
 pha autem Ludovico XI. transmiserat.

§. CXXVI.

Burgundiae Ducissae auctoritas a Gan-
davensibus usurpata.

Equidem sub imperio Burgundiae Ducum
 Gandavenses omnibus suis privilegiis
 exuebantur, regnante vero Philippo co-
 gnomento *bono* adhuc acerbius habiti
 fuere.

fuere. Carolus quoque Philippi Filius ^{ſæc. ul. XV.}
 eidem Magistratum eligendi facultatem A.C. 1477.
 ademit, in ejus locum subrogatis viginti
 ſex exploratæ ſibi fidei Viris, qui ſub ob-
 tentu juris dicendi eos arcte in officio
 continebant. Jam vero Gandavenſes vix
 comperto Ducis ſui obitu ad redintegran-
 dam avitam libertatem animum adjiciunt,
 ac quæſito futili admodum prætextu
 omnium horum viginti ſex judicum cæ-
 dem decernunt, in eorum domus invo-
 lant, eosque trucidant; Duciffam quo-
 que cuſtodix tradunt, & Belgii regimen
 uſurpant. Ludovicus hanc ſeditionem
 alere ſtudebat, ſpe fretus, ſe hac via Du-
 ciſſam omnibus ſuis ditionibus ſpoliatu-
 rum: ſatis etiam ſibi compertam habe-
 bat extremam Gandavenſium averſio-
 nem in Hugonectum, & Imbercurtium;
 timebat tamen, ne forte hi duo Miniſtri
 denuo in gratiam cum civibus redirent,
 Galloſque Belgium occupandi ſpe deji-
 cerent; ut ergo ſiniſtrum hunc eventum
 Rex præveniret, Gandavenſes ad utrius-
 que hujus Viri necem concitare, animo
 conſtituit.

Regis quoque conſilio occaſionis op-
 portunitas aderat; eo enim tempore,
 Gandavenſes ad Regem Deputatos de-
 cernebant, qui eidem tanquam ſupremo
 eorum Domino de cunctis, quæ mox
 egiffent, rationem redderent. Ergo hi
 Depu-

Sæcul. XV. Deputati Atrebatum ad Regis castra, ubi
A.C. 1477. adhucdum hærebat, delati supplicanti,
 ut suspensis utrinque armis inter ambos
 exercitus inducias easque diuturnas pa-
 cisceretur, eo fine, ut intermedio hoc
 temporis intervallo cuncta diffidia inter
 Regiam suam Majestatem, & Mariam de
 Burgundia componerentur; simulque de-
 clarabant, Mariam in posterum totam a
 consiliis trium Belgii Ordinum, qui ta-
 men plusquam vatiniiano odio Burgun-
 diones persequebantur, dependere velle.
 Ad hæc Rex respondit, falsa eos spe
 duci; Mariam enim nequaquam tantam
 in eos, prout sibi persuaderent, fiduciam
 habere; ab ea quidem Senatum fuisse in-
 stitutum ex quatuor duntaxat compo-
 situm Viris, eos tamen omnes ob privati
 commodi studium belli continuationem
 exoptare, proin illos nil intentatum in-
 ausumque relicturos, ut nullum ab armis
 otium esset. Deputati, ut Regi rem non
 ita se habere, luculento argumento de-
 monstrarent, mandata sibi commissa, ac
 Ducissæ manu scripta, ejusque sigillo
 munita producunt; quo factò Rex pari-
 ter illis exhibuit epistolam ab Hugone-
 cto & Imbercurtio Peronnæ sibi traditam.
 Hanc Deputati sedulo examinant, veram-
 que esse agnoscunt; ex illo autem tem-
 poris articulo utriusque excidium decer-
 nunt, supplices, ut Rex has literas illis
 relin-

relinqueret. Hoc eorum precibus Rex ^{Sæcul. XV.}
 eo promptius dedit, quo nullo efficaciore ^{A.C. 1477.}
 consilio permotus, epistolas eis monstra-
 verat, quam ut vehementius illarum de-
 siderium in eis accenderet.

§. CXXVII.

*Conjuratio Gandavensium in necem
 Hugoneſti & Imbercurtii.*

Deputati Gandavum reduces contume-
 liam sibi illatam vindicare firmo con-
 stituunt animo, hancque in rem legatio-
 nis suæ successum in publico exponunt
 Senatu. Aderant Ducissa, ejusque No-
 verca, Cleviæ Dux, Ravesteinius, Leo-
 diensis & Terouanensis Episcopi, præter
 Hugonectum & Imbercurtium. Depu-
 tati palam Mariæ Burgundiæ Ducissæ
 exprobrant, quod Senatum suum non nisi
 ex quatuor exploratæ fidei Viris consti-
 tuendum esse perscripsisset, eo ipso au-
 tem avitam regiminis normam penitus
 evertisset. Ducissa, aut epistolæ a se
 scriptæ immemor, aut secretum a Rege
 fratre suo minime proditum fuisse rata,
 pernegat vel unquam talia e calamo suo
 profluxisse, nec se Regis mentem & ver-
 ba assequi affirmat. Ast vix hæc dicta
 absolvit, cum illico Deputati eidem epi-
 stolam ejus manu exarratam porrigunt;
 hac conspecta Ducissa hæerere, totoque
 vultu

Sæcul. XV. vultu ruborem emicare, non tam mendacii in publico tamque celebri confesso prolati verecundia, quam indignatione commota; quare soluto congressu, adeo funesta Regis proditionem ulciscendi consilia cepit, ut ipsamet in sui ruinam præceps rueret, & suos Regisque subditos communi calamitatum periculo involveret.

§. CXXVIII.

Hugoneſtus atque Imbercurtius comprehenſi, & condemnati.

Interim Hugoneſtus atque Imbercurtius comprehenduntur, constituuntur Judices, & accusationes instruuntur; has inter præcipuæ erant, I. Crepicordius horum auctoritate ac jussu Gallis Atrebatensem civitatem tradidit. II. Ipsi, in quadam caussa adversus quemdam civem privatum Gandavi agitata auro corrupti fuerunt, ac III. demum urbis immunitates labefactarunt. Haud dubie hi duo Ministri ingenio præstantissimi, atque innocentia tuti facili negotio cuncta illa accusationum capita diluissent, nisi defensionis copia destituti, & a potentioribus amicis derelicti, inimicos suos pro judicibus nacti fuissent, qui eis non nisi trium horarum spatium, intra quod ad mortem sese disponerent, indulgebant.

Re

Re comperta Maria de Burgundia sum-Sæcul. XV.
me indignata, ferme in furorem ageba- A.C. 1477.
tur: cum vero de utriusque hujus Mi-
nistri probitate convicta, ac fidei, qua
Patri, ejusque Avo sua obsequia devove-
bant, probe conscia esset, supplex ad tri-
bunal ex propriis suis subditis composi-
tum accedit, & vitæ gratiam, quam
concedere suæ fuisset auctoritatis, de-
misse ab eis efflagitat, & tamen repul-
sam ferre compellitur.

§. CXXIX.

Ambo Capite damnati.

Ergo ambo ad locum, ubi ferale pegma
erectum erat, deducuntur, ubi pene *Commin.*
innumera hominum multitudo confluit; l. 5. c. 17.
accedit ipsa etiam Ducissa, sed incompto
capite, crinibusque sine lege errantibus
squallida, tota lacrimis disfluebat, atque
habitu ad neglectum composito vestita
comparebat. Nihilominus vix non ejus
eloquentia aversionem ac Regiminis odi-
um superasset; quorum enim animi ad
Ducissæ verba movebantur, jamjam in eo
erant, ut, adversus flecti nescios arma ca-
perent, quin etiam plures exclamare cœ-
perunt: *Venia, Venia detur*: Attamen
vicit furentium numerus atque potentia;
& lictores non parum conterriti utrum-
que capite truncant, in conspectu ipsius Du-
Hist. Eccles. Tom. XXIX, R r *cissæ*

Sæcul. XV. ciffæ, quæ ad palatium suum exsanguis,
A.C. 1477. ac mortuæ similibus deferebatur.

§. CXXX.

Gandavensium consilia de nuptiis Ducissæ cum Adolpho Geldricæ Duce.

Ducissa, cum linquentem animum suum revocasset, Gandavenses, quod auctoritatem suam utriusque hujus Viri adeo celebris supplicio roborassent, jam contentos fore sperabat. Ast spe sua se delusam brevi experta est. Quippe Ducissam viduam Burgundæ Novercam, æque ac Ravesteinium urbe excedere compellunt, ipsius vero Dominæ suæ mores velut e specula observant, omnesque, qui ab ejus servitio erant, dimittunt, aliosque subrogant; cunctos denique, quos sibi addictos habebat, proscribunt, eorum domos spoliant, & illorum bona ærario addicunt. Post hæc quindecim millia peditum, ac nonnullas equitum copias cogunt, quibus Adolphum Geldricæ Ducem a Carolo Burgundiæ Duce Namurcensi olim arci inclusum præficiunt, eumque supremum eorum Præfectum salutant; ne vero quicquam malorum cumulo deesset, Ducissam compellere tentant, ut Adolphum, juvenem post homines natos turpissimum, ac omni flagitiorum

tiorum genere deformem, tori sui soci- Sæcul. XV.
um sibi eligeret. A.C. 1477.

§. CXXXI.

*Oliverius Damus a Rege ad
Ducissam missus.*

Attamen Ludovicus Rex, licet rerum ignarus, Ducissam a tam indignis nuptiis exemit. Cum enim illam ad suas partes clam pertrahere vellet, hinc in Flandriam misit hominem quemdam in oppido Odenfordia haud procul a Gandavo natum, qui ingenii sui acie, ac morum affabilitate Ludovici Regis gratiam aucupatus, primum in Barbitonforem ab eo assumebatur, demum honorifico nomine Oliverii de Damo seu Dando *le Daim.* decoratus est. Cum idem Flandrici idiomatis gnarus, facile Gandavo oriundus crederetur, Ludovicus hunc præ ceteris idoneum reputabat, ut eum ad Ducissam ablegaret, nullis tamen regiis literis munitum; dato solum verbotenus negotio, ut Ducissæ Burgundiæ remotis arbitris exponeret, Regem vehementer illius vicem dolere, eidemque postea suggereret, *Commin. 1.5. cap. 17.* ut secum conferret de mediis, quibus, si ad Gallorum partes accedere vellet, a Gandavensium tyrannide eripi posset, demum exploratis horum animis ac propensione in Gallos comperta, Gandaven-

Sæcul. XV. sibus promitteret, Regem illis, si sua in
A.C. 1477. eum studia collaturi essent, avita illorum
 privilegia redditurum.

§. CXXXII.

*Utraque Burgundia a Ludovico
occupata.*

Oliverius accepto negotio nomen Co-
 mitis de Meulania mentitus, muta-
 tis vestibus proficiscitur, ac literas publi-
 cæ fidei testes Ducissæ Senatui exhibet:
 nunquam tamen secreti cum illa colloqui
 copiam obtinuit, tandem vero, quod ali-
 quibus notior esset, detecta fraude, mi-
 nisque in eum intentatis perterritus,
 Tornacum præcipiti fuga contendit, ubi
 non minus quam in ipsa Francia ab omni
 metu atque insidiis vacuus præfatam ur-
 bem dolo cepit, ac portarum excubias
 auro corrupit, demum vero quibusdam
 Gallorum copiis clam introductis liberum
 ad urbem aditum paravit. Gandaven-
 ses, ut Gallos inde propellerent, nulla
 mora Adolphum de Geldria cum valido
 milite ablegant, polliciti, se eo reduce
 Ducissam ad pangenda cum illo nuptia-
 rum fœdera compulsuros. Verum Adol-
 phus in proelio occubuit, & ingens, quam
 Ducissa ex ejus morte ceperat, lætitia
 non parum mitigabat dolorem, quem ob
 utriusque Burgundiæ jacturam concepe-
 rat;

rat; sub idem enim ferme tempus fama Sæcul. XV.
ad eam perlata est, quod Rex opera ac A.C. 1477.
studio Arausionensis Principis hæc Pro-
vincias sibi subiecisset.

§. CXXXIII.

*Cameracum ultronea deditio-
Regi traditum.*

Interea Ludovicus XI. in Belgio occultas, versutasque artes suas impendere haud intermittebat. Equidem Sancti Audomari urbem ad deditioem sollicitabat, sed eum spes sua fefellit; quippe Ludanus, semper privatis suis commodis intentus, Nobilium Ordini, qui Franciæ jugum velut pretio mercari videbatur, adeo immodicas leges præscribebat, ut Nobilium Deputati ejus arrogantiam summopere indignati soluto colloquio discederent. Nihilominus inter cunctos, quos Rex experiebatur, adversæ fortunæ casus nihil magis ejus dolorem leniebat, quam spontanea Cameracensis urbis & adjacentis territorii deditio; quæ Regio, quamvis arctis circumscriberetur limitibus, exigua tamen illius extensio opportunitate loci abunde compensabatur. Urbs hæc olim Imperio parebat, eratque summa potestas penes Episcopos, qui ibidem sedem fixerant, licet regiminis curam cum Magistratu partirentur. Cum vero

Sæcul. XV. cives suum Antistitem, cujus indulgentia
 A.C. 1477. leges impune violabantur, graviter con-
 temnerent, suosque Magistratus ut-
 pote ad regiminis habenas ineptos vili-
 penderent, de foedere ineundo cum Gal-
 lis agere coeperunt. Hi, cum urbi pro-
 ximius appropinquarent, ultro excepti
 fuere, vicissim Galli salvis etiam Civium
 privilegiis atque libertatibus, nequidem
 regiminis normam immutarunt, jam con-
 tenti, quod urbis moenia in suam pote-
 statem redegerunt.

§. CXXXIV.

*Consilia de connubio Burgundiae Du-
 cissæ cum Riverio Comite.*

Omnia oculos mentesque admiratio
 insolitæ tranquillitatis suspensas te-
 nebat, qua Rex Angliæ tot Victo-
 riarum, quibus Ludovicus imperium suum vel
 maxime augebat, cursum sistere minime
 festinabat, quinimo nequidem æmulationis
 stimulo excitabatur, postquam Galliarum
 Regem jamjam Regni fines versus
 Caletum protendere, & Bononiam, quam
De la Tour. a Bertrando de Turre Alvernæ Comite
 loco Laurici agri in Comitatum erecti da-
 tam acceperat, occupasse comperiebat.
 Angli intempestivum hoc Regis sui otium
 vehementer indignati sunt; ast Eduar-
 dus, cui quietis dulcedo novi belli stre-
 pitu

pitu longe optatior erat, partim splendore Sæcul. XV.
A.C. 1477.
 auri (Gallia enim quot annis quinquaginta
 aureorum millia ei pendebat) obcæcatus,
 partim spe nuptiarum filiæ suæ cum Del-
 phino sopitus, aut forte ab ipso Angliæ
 Senatu, in quem Ludovicus larga manu
 pecunias effundebat, delusus unice id
 agebat, ut a Maria de Burgundia solli-
 citatus, de illatis ei injuriis Regem ad-
 moneret, quamvis & hi quoque ejusdem
 conatus in irritum caderent. Hoc uni-
 cum certe Eduardi torporem excussisset,
 si dicta Burgundiæ hæres Riverio Comiti *Riviers.*
 Reginæ Angliæ fratri nupsisset: Angli
 etiam, si hisce nuptiis eventus collude-
 ret, contestati sunt, se rescissis Franciæ
 induciis foedus cum Belgis adversus Lu-
 dovicum Regem pacturos. Ea res sane
 haud prospero caruisset successu. Atta-
 men Maria de Burgundia, cum Riverius
 Comes supremo cujusdam Regni imperio
 destitueretur, eo relicto sese Maximiliano
 Imperatoris Friderici filio dicabat.

§. CXXXV.

*Ludovicus XI. Anglos contra Flan-
 dros in Gallias accersere intentus.*

Galliarum Rex Ducissæ consilium edo-
 ctus, nullum non movit lapidem, ut
 connubiale hoc foedus præpediret. Quare
 Anglos in Franciam revocare statuit,
 R r 4 peri-

Sæcul. XV. periculi, cui se exponeret, ac ingentium
 A.C. 1477. immemor malorum, quæ Carolus VII.

Pater ejus nonnisi virtute humanis viri-
 bus superiori eluctatus erat; Nihilomi-
 nus Eduardum Flandriæ ac Brabantiae
 facili negotio occupandæ spe pellicit,
 cuncta, quæ obstarent, tanquam unius
 diei laborem depingit, atque pollicetur,
 se hæc Provincias eidem libere cessu-
 rum, remisso etiam fidelitatis Sacramen-
 to, quod Franciæ Regibus clientelæ no-
 mine debitum esset. Insuper spondet, se
 mox pro decem millibus sagitariis qua-
 tuor mensium stipendia numeraturum,
 eodemque tempore, quo Angli Flan-
 driam invaderent, se cum exercitu suo
 in Hannoniam penetraturum, atque ad
 Caletensem urbem tormenta bellica,
 quotquot exigent, sine omni expensa-
 rum onere transmissurum. Præterea
 Eduardo promisit, se suis sumptibus no-
 biliores quatuor Brabantiae urbes expu-
 gnaturum, easdemque postea Anglis tra-
 diturum. Nihilominus Eduardus spreta
 hac promissorum amplitudine a bellandi
 animo adeo alienus erat, ut duntaxat
 propensam erga se Ludovici XI. volun-
 tatem grati animi testificatione compen-
 sare; quapropter hac de re haud am-
 plius quicquam actitatum est.

§. CXXXVI.

*Actum de Ducissæ Burgundiæ
connubio.*Sæcul. XV.
A.C. 1477.

Magis secunda adfuit fortuna consiliis, quæ in aula Burgundiæ de Ducissa in matrimonium collocanda pertractata fuere. Huic in tori societatem offerebantur quatuor Principes, scilicet Delphinus Franciæ, Engolismensis Comes, Ducis Cliviæ Filius, & Archidux Maximilianus Imperatoris Filius. Equidem Ludovicus simulabat, quod Ducissam pro filio suo sponsam haud amplius peteret. Nihilominus in favorem Delphini Ludovicus Borbonius Leodiensis Episcopus, & Mariæ de Burgundia Avunculus auctoritate sua potentem conflabat factionem inter Flandriæ Proceres, qui Delphini nuptias anxie exoptabant. Verum Episcopus spe sua dejectus est proditione Guilielmi de Marchia amici sui, qui propria manu Borbonium trucidavit, ac penitus exspoliatum usque ad Mosæ litus abstraxit, & demum in flumen projecit, eo fine, ut fratrem suum natu minorem in Leodiensis Ecclesiæ sedem intruderet. Ducissa hujus nece a factione Delphino adhærente liberata est, seipsam vero exemit a primogenito Cliviæ Ducis Filio, Gandavensibus ejusmodi

Sæcul. XV. Principem recusantibus, cujus ditioes
A.C. 1477. ipsis vicinæ essent. Quapropter Dux il-
 le, qui nonnisi duorum annorum æta-
 te Mariam superabat, a nuptiis arceba-
 tur, partim Gandavensium repugnantia,
 partim propria Ducissæ in eum aver-
 sione. Aliunde vero omnibus explora-
 tum erat, Ludovicum XI. matrimonio
 cum Engolismensi Comite constanter ob-
 luctaturum, eo quod vereretur, ne si tam
 ampla bonorum successio ad Principem
 regio sanguine ortum devolveretur, po-
 tentissimum sibi hostem accerseret.

§. CXXXVII.

*Connubium Ducissæ cum Maximiliano
 Archi-Duce conciliatum.*

Supererat Maximilianus, Princeps nec-
 dum vigesimum primum ætatis an-
 num egressus, mira formæ dignitate præ-
 stans, atque ingenii acie haud parce præ-
 ditus, cetera laudatissimus, nisi quis ei
 aliquanto vehementiorem venandi cupi-
 ditatem vitio vertat. Præterea spem ha-
 bebat succedendi in Imperio; cum u-
 nicus Cæsaris Filius esset. Pater ejus
 Princeps sui ævi avaritia ac inertia ne-
 mini secundus (*) Maximilianum pro-
 prio

(*) *Insulse Continuator ejusmodi calumniam
 Impera-*

prio ipsius arbitrio reliquit, unice ut sum-
 ptibus in Gubernatoris, atque Magistri
 stipendia erogandis parceret; quocirca
 haud aliis excultus erat scientiis, ac virtu-
 tibus, quam quas largiter naturæ be-
 neficio sibi suppeditatas habebat, bona
 indole clarus, ac tanta sobrietate emi-
 nens, ut ceteros Germaniæ Principes
 longe antecelleret. Igitur harum dotum
 suffragio inter omnes unus dignior e-
 rat Ducissæ de Burgundia sponsum; jam-
 que faustis hisce nuptiis prælusit defun-
 cti Ducis consensus; hic enim eo tem-
 pore, quo de hoc connubio agebatur,
 Filix suæ auctor erat, ut epistolam pro-
 pria manu exaratam Archi-Duci mitte-
 ret,

*Imperatori, ejusque Filio impingit; Si priva-
 tum adversus Augustissimam Domum Austria-
 eam odium fovit, certe dum Historicum agit, &
 quidem Ecclesiasticum Scriptorem, malevolen-
 tiæ suæ imperare debuisset, maxime, ubi ejus-
 modi convitia nec ad Historiæ seriem pertinent,
 nec veritati consona sunt. Omnium enim Hi-
 storiorum fide compertum est, Maximilianum
 Magistrorum suorum industria plurimis scien-
 tiis apprime excultum fuisse, ac septem omnino
 linguas perbene caluisse. Ergo nec Pater ava-
 ritia, nec Filius inscitia postulari potest Vide
 Palatium, & Kevenhüller in vita Friderici Impe-
 ratoris, & Maximiliani I. præter alios Austria-
 cæ Domus Annalistas.*

Sæcul. XV.
 A. C. 1477.

Sæcul. XV. ret, in qua eidem conubii sponsionem
A.C. 1477. faceret, inque nuptialis amoris pignus
 annulum aureum pretioso Adamante or-
 natum transmitteret.

§. CXXXVIII.

*Ducissa ab Imperatore per suos Le-
 gatos in Sponsam Filii sui
 petita.*

Commin. l. 6. Germani Proceres, cum Ludovicum XI.
t. 2. nuptiis Filii sui cum Ducissa oblu-
Gaguin. hist. tari comperissent, impense Maximilia-
Franc. l. 10. num hortantur, ut hujus repulsam oppor-
 tune in rem suam verteret. Quare Fri-
 dericus ejus Pater Legatos suos nulla
 mora decernit, qui Ducissam in filii sui
 Sponsam peterent. Jamjam iidem Le-
 gati Bruxellas intraverant, cum Cliviæ
 Dux nullum non moveret lapidem, ut eos
 a suscepti consilii executione deterre-
 ret. Ex adverso Ducissa defuncti Bur-
 gundiæ Ducis uxor, quæ Mechliniam
 secesserat, eosdem non solum verbis, sed
 tota negotii serie instruebat, omnique ope
 & opera instabat, ut iter suum profe-
 querentur, & nullius moræ dispendio
 Gandavum contenderent; ibi enim om-
 nia, ut honorifice exciperentur, optime
 disposita esse ajebat. His Ducissæ ver-
 bis animati tandem Gandavum salutant,
 non sine gravi Regis Ludovici mœrore,
 quem

Sæcul. XV.
A.C. 1477.

quem erroris sui conscium sera nimis poenitentia subiit; Nihilominus Robertum Gaguinum Ordinis Trinitariorum Generalem in Flandriam misit, ut has nuptias impediret: hic tamen sperato successu frustratus est; Cæsaris enim Legati ad alloquium Ducissæ perbenigne admissi, Legationis suæ argumentum explicant, epistolam unacum annulo, quem Ducissa Maximiliano dederat, exhibent, atque in memoriam revocant Burgundiæ Ducis ejusdem Patris consensum, denique sponsionis suæ fidem exsolvi supplicent.

§. CXXXIX.

Burgundiæ Ducissa Maximiliano Archiduci desponsata.

Maria de Burgundia Legatos optato honorabat responso. Igitur quantocius nuptiarum pacta instruuntur, & Legati ad Maximilianum decernuntur; cum vero ejus Pater parcissimus esset, nequidem ad tantam solemnitatem necessarios sumptus impendebat, quapropter Sponsus cum exiguo comitatu Coloniam usque obviam processit, Ducissa tamen quod pompæ deerat, supplevit, atque octingentos equites præmittebat, necnon necessarias suppeditabat pecunias, ut Maximilianus Colonia Gandavum

Secul. XV. A.C. 1477. vum iter suum profequi posset, (*) ubi tamen summis honoribus exceptus est, ac nuptiarum solemnia cum Ducissa Sponsa sua die decima octava Augusti Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo celebravit.

§. CXL.

Induciae inter Galliarum Regem & Maximilianum.

Sub primis nuptiarum auspiciis Maria de Burgundia non adeo potens auxilium in novello suo Sponso repositum habebat; hic enim nec ab Imperatore Patre suo suppetiis juvabatur, nec a Sigismundo Patruo suo validam opem sperare poterat; eoquod is ferme imbecillis a publicis negotiorum curis penitus animum abstraxerat. Ergo Maximilianus ad Flandros confugit, quorum subsidio exercitum conscribit, junctisque octingentis equitibus sibi ex Germania adductis, Valentianas & Duacum contendit, Gallorum copias aggressurus. Ludovicus XI. inopina Archiducis celeritate jamjam ad bellandum expediti non parum perterritus, misso ad eum Chimajo Comite inducias

*Comin. l. 3.
cap. 6. in fin.*

(*) Continuatore, cum hujus fabulae nulum omnino Auctorem alleget, haud temere ipsumet illius Architectum esse credimus.

ducias offert, simulque Quecertum, & Sæcul. XV.
 Bunium urbes sibi reddi, ac Cameracum A.C. 1477.
 neutrius imperio addici postulat. Ma-
 ximiliano hæc oblata acceptante, die de-
 cima octava Septembris induciæ Landi
 utrinque firmatæ sunt, quæ tamen haud
 diuturno tempore perdurabant.

Lens

§. CXLI.

Croja & Scodra a Turcis capta.

Interea Turcæ affiduo belli furore Chri-
 stianos vexabant, & Crojam in Epiro Marin. Bar-
 post annuam, eamque gravissimam obli- let. in hist. ob-
 tionem in deditionem accipiebant. Nec sid. Scodr.
 his limitibus victoriarum cursum circum-
 scribebant; Scodram quoque urbem, fru-
 stra alias oppugnatam, tandem in suam
 redigunt potestatem, Venetis, cum nu-
 mero impares, ac suppetiis destituti es-
 sent, eam tradere coactis. Cum vero
 Matthias quoque Hungariæ Rex ad co-
 hibendos Turcarum progressus in Italiam
 accersitus, inde pedem referret, Maho-
 metes hujus fuga opportune usus, vali-
 dum exercitum illuc misit, jam solis Ve-
 netis totius belli pondus sustinentibus.
 Hanc ob causam Scodram urbem, quæ
 Fænarium in Peloponeso prope Spartam,
 hodie Matapanum Promontorium dicitur, Capo Mata-
 cedere compulsi sunt, una cum Lemno pan.
 Insula in mari Egeo. Cogebantur etiam
 annuum

Sæcul. XV. annuum millium (*) nummum aureorum
A.C. 1477. tributum Turcis pendere, ut Venetis ad
 Græciæ emporia navigatio tuta pateret. Scodrenses ferme omnes relicta patria extorres fieri satius esse ducebant, quam sub Turcarum tyrannide vivere; unde ad Rempublicam Venetorum confugiebant, a quibus perbenigne excepti sunt.

§. CXLII.

Bellum Regis Hungariæ adversus Imperatorem. Vienna obsessa.

*Bonfin. 4.
 dec. 5.*

*Cromer. lib. 8
 in fin.*

*Michov. l. 4.
 s. 72.*

Matthias Hungariæ Rex non alio ex fine ab armis adversus Mahometem conquievisse videtur, quam ut celebratis nuptiis cum Beatrice, mox Imperatori bellum inferret; nullis enim moræ induciis maturiori consilio indultis, Austriam infestis armis invadit, eam late devastat, ipsamque Urbem Viennensem arctissima obsidione cingit. Cum vero Fridericus, qui a bello ob sumptus in eo impendendos alienissimus, ac præterea militaris peritiæ omnino expers erat, rogaretur, ut pacem redderet, Matthias Cæsari eam concessit, iis tamen concordiæ legibus, ut Fridericus se omni jure ac titulo regni Hungarici abdicaret, & Mat-

(*) Apud alios, Historicos legimus OCTO millia.

Matthiam in possessione Bohemici sceptri confirmaret, numeratis insuper centum & octoginta florenorum millibus. Ita rem narrant Scriptores Poloni parum erga Matthiam affecti: Bonfinius tamen nihil præter antiqui foederis innovacionem, & centum ac quinquaginta millium aureorum sponsonem in pacis conditionibus expressum, iisque adimpletis Hungariæ Regem soluta urbis obsidione ad sua se recepisse testatur. Ceterum Sixtus Pontifex, Venetique eo ex tempore, quo Matthiam Imperatori bellum denuntiasset compererant, annua centies mille nummum aureorum stipendia, quæ olim Matthiæ pro sumptibus belli Turcici assignaverant, abrogabant, ne ei adversus Imperatorem opem ferre viderentur. (*)

Sæcul. XV.
A.C. 1477.

§. CXLII.

(*) Lector consulat Spondanum in sua Continuatione ad hunc annum §. 4. Et sane Continuatoris nostri nimiam fidelitatem, qua ferme omnia ex eo descripsit, simulque illius, ne dicam amplius, oscitantiam mirabitur, qua adversus Imperatorem a Spondano iniquius prolata, non solum non emendavit, sed etiam auxit.

Sæcul. XV.
A.C. 1477.

§. CXLIII.

*Cardinales primum quinque, postea
septem a Papa creati.*

Jam priori Anno Sixtus Pontifex Cardinalium Collegium quinque novis Purpuratis auxerat. Horum nomina impræsentiarum exhibemus: Primus erat Georgius Costa Lusitanus, Ulyssiponensis Archiepiscopus, Presbyter Cardinalis tit. SS. Petri & Marcellini; II. Carolus Borbonius natione Gallus, Archiepiscopus Lugdunensis, tit. S. Martini ad Montes; III. Petrus Ferrici Hispanus Archiepiscopus Turiasonensis tit. S. Sixti. IV. Joannes Baptista Mellini patria Romanus, primum Avianensis, postea Sutrinus, tandem Urbinatis Episcopus, tit. SS. Nerei & Achillæi; V. Petrus de Fuxo Gallus, Episcopus Venetensis, & Cardinalis tit. S. Sixti; Hoc autem Anno Incarnationis Dominicæ supra millesimum quadringentesimo septuagesimo septimo Papa die decima Decembris alios septem purpura decoravit. Fuere autem sequentes Christophorus de Ruvere Taurinensis, Archiepiscopus Tarentasiensis; tit. S. Vitalis; Hieronymus Bassus de Ruvere, Nepos Pontificis, Episcopus Recinetensis primum tit. S. Balbinæ; postea S. Chrysogoni, ac demum Episcopus Prænesti-

nestinus; Georgius Hester natione Ger- Sæcul. XV.
 manus, Herbipolensis Episcopus, tit. S. A. C. 1477.
 Luciae; Gabriel Rangonus Mutinensis
 Ordinis Fratrum Minorum tit. SS. Sergii
 & Bacchi, Episcopus Albiensis, & postea
 Agriensis; Petrus Foscarus Venetus Pri-
 micerius S. Marci Venetus, Episcopus
 Patavinus, tit. S. Nicolai in carcere, dein-
 de S. Sixti; Joannes Arragonius Ferdi-
 nandi Neapolis Regis Filius, Cardinalis
 Diaconus tit. S. Adriani, dein Presbyter
 S. Sabinæ, demum S. Laurentii in Luci-
 na; Raphael Sansonus de Riariis dictus
 Savonensis tit. S. Sabinæ, Cosentinus,
 Salernitanus, ac demum Ostiensis Epis-
 copus.

§. CXLIV.

Poema in Laudem Sixti IV.
compositum.

Hoc eodem anno Robertus Flemingus
 natione Anglus, Romæ diversatus
 in laudem Sixti IV. Pontificis poema
 composuit, cui titulum præfixit: *Lucu-*
brationes Tiburtinæ. Hujus Pontificis vi-
 tam, & Panegyrim versibus *heroicis*, ut
 vocant, oppido tortis scripsit, eodemque
 tempore opus suum Romæ typis vulga-
 vit, postquam vero aliquamdiu in Urbe
 moratus erat, ad suam patriam reversus,
 Ecclesiæ Lincolnensis in Anglia Deca-
 nus renuntiatus fuit.

S s 2

§. CXLV.

Sæcul. XV.
A. C. 1478.

§. CXLV.

Res Maurorum cum Ferdinando Aragonum Rege.

Bello interea Castellanos inter & Lusitanos continuo fervente, Navarra semper Bellomontii & Grandimontii factionibus agitabatur: donec tandem Joannes Arragoniæ Rex, qui, Francisco Phæbo Fuxi Comite ejus Nepote curatorum tutela nondum exempto, regnum administrabat, Comitem de Leva, & Petrum Panniel utriusque factionis Principes Cæsaraugustam relegasset, & habita diffidorum cognitione, feliciter eos, sepositis odiis, conciliasset.

Ceterum Granatæ Rex ægre ferebat, quod Ferdinando Arragoniæ Principi, qui & Isabellæ Maritus erat, prospera ubique adspiraret fortuna, econtra vero Joannæ Henrici filiæ factio indies auctoritate ac numero decresceret, imo eadem perdendi regni, cujus tamen hæres a Patre suo ante obitum scripta erat, periculum incurreret; hinc summopere vereri cæpit, ne Ferdinandus firmata cum Lusitanis pace arma in Mauros converteret. Huic malo mature prospexit, Legatum ad Ferdinandum decernit, qui induciarum prorogationem peteret. Nec abnuvit Arragonius, ea tamen lege, ut
Mauro-

Maurorum Rex residuam tributi partem, quam adhuc debebat, pendere non recusaret. Ad hæc ille tanta respondit arrogantia, ut certe brevi temeritatis suæ poenas dedisset, nisi Ferdinandus in Castellæ Regem salutatus, gravibus curis alibi distentus hæssisset, & aliunde, cum rara prudentia, qua suo ævo vix superiorem habebat, scite tempori servire scivisset; hinc autem suo dolori, iræque imperabat, donec diffidia ob Castellæ & Lusitanicæ Regna penitus composuisset.

§. CXLVI.

Diffidia inter Mediceos & Pazzios Florentiæ exorta.

Hoc anno post Christum natum millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo Florentinorum Republica ingentis tumultu turbata est; oriebantur enim gravissimæ dissensiones inter Mediceos, & Pazzios. Erant hæc duæ familiæ ceteris potentia ac divitiis longe præstantissimæ. Equidem Pazzii generis antiquitate, ac opulentia prævalebant, Medicei vero non solum Florentiæ, sed in tota Italia auctoritate clariores erant. Creverat utraque familia ad tantam bonorum copiam ex industria Cosmæ senioris, sapientissimi civis, qui suo ævo ho-

*Commin. l. 6.
cap. 5.*

*Angel. polit.
in epist.*

Brut. l. 6. § 7

Sæcul. XV.
A. C. 1478.

noratissimis Viris accensendus, felicitate, gloria, & populi amore canitiem suam immortalem reddebat, ac non vano nomine Pater Patriæ, & liberator populi nuncupabatur. Hic ipse filium habuit Petrum suæ auctoritatis, opumque hæredem, qui tamen haud diu superstes duos reliquit Filios Laurentium & Julianum. His tamen non eadem, ac eorum Avo, Patrique fortunæ prosperitas adspirabat; omnibus enim juxta ac funestissimis agitabantur malis, quæ æmulationio atque invidia in eorum animis suscitare solet, qui ambitione inflati etiam cum dispendio honoris, ac justitiæ sese super alios erigere anhellant.

§. CXLVII.

Conjuratio Pazziorum in Mediceos.

Machiavel.
hist. Florent.
l. 8.
Onuphr. in
Sixt. IV.

Sixtus IV. Papa minus propensum in Mediceos fovebat animum; eoquod Hieronymi Riarii ejus Nepotis fastui adversarentur. Ex adverso gratia & favore apud Pontificem plurimum valebant Pazzii: Hi itaque auctoritate ac potentia, quarum utraque urgens est ad quævis audenda stimulus, suffulti, in fratres Laurentium & Julianum conspirationem conflant: quisque etiam suos habebat fautores numero & viribus neutri impares. Unde

unde tota pene Italia in duas factiones Sæcul. XV. A.C. 1478.
 scissa erat; hinc enim Ferdinandus Nea-
 polis Rex cum Sixto Papa foedus iniit,
 ut ambo Pazziorum causam communi
 consilio tuerentur; illinc Veneti, atque
 Mediolanensium Dux cum Florentinis
 pro Medicea gente conspirabant. Præ-
 primis Alphonsus Ferdinandi Filius cum
 exercitu in Etruriam Mediceos aggres-
 surus venit, eo quidem usus obtentū, quod
 nonnulla oppida ditionis ecclesiasticæ
 ab aliquibus Etruriæ Optimatibus occu-
 pata recuperaret, re tamen ipsa, ut sub-
 latis Mediceis Papa Florentinorum Rei-
 publicæ pro summo imperio præesset.

§. CXLVIII.

*Sacrilegum Pazziorum consilium du-
 rante Missa utrumque Fratrem
 Mediceum trucidandi.*

Indies Conjuratorum numerus pluri-
 mum excreverat, eosque Pontificis
 Nepos favore atque auxilio, quantum in
 ipso erat, non parum fulciebat. Hi er-
 go amborum fratrum Laurentii & Julia-
 ni necem decernunt; consilium vero
 executuri, Sixtum IV. qui conjurationis
 initæ penitus ignarus erat, rogant, ut
 Cardinalem S. Georgii, qui ex Hierony-
 mi Riarii sorore natus Pontificis Prone-
 pos erat, visendæ urbis, ac animi rela-
 xandi

*Machiavel
 hist. Florent.
 8.*

*Onuphr. in
 Sixt. IV.*

Sæcul. XV. xandi causa Florentiam mitteret; id eo
 A.C. 1478. consilio a conjuratis factum, ut sub ob-
 tentu obsequii huic Cardinali præstandi
 sine suspitione convenire, & commodius
 Fratres Mediceos Laurentium & Julia-
 num, quos eadem ex causa eo venturos
 noverant, opprimere possent: Verum sæ-
 pius tam in officiosis apud Cardinalem
 salutationibus, quam in conviviiis in ejus
 honorem adornatis mali occasionem fru-
 stra quærebant; tandem vero, ne operam
 perderent, communi suffragio statuunt,
 quod ambos Fratres die Dominica vige-
 sima sexta Aprilis tum e medio tollere
 velint, cum Cardinalis Florentiæ Eccle-
 siam majorem ad sanctam Reparatum
 sacrum ibidem celebraturus accederet,
 & Medicei abs dubio rei divinæ inter-
 essent.

§. CXLIX.

*Julianus interfectus, & Laurentius
 fuga dilapsus.*

Exequendi facinoris signum, tempusque
 indictum est, ubi in Missa *Sanctus* di-
 ceretur. His ita conventis commissum
 est scelus, & Julianus pugione confossus
 illico occubuit; Laurentius vero natu
 major occisi frater in faucibus levi vulne-
 re faucibus in Sacrarium confugit; atque
 ædituis illico portas cupreas, quas Pater
 ejus

ejus extruendas curaverat, occludenti-
 bus, ipse furentium gladios evasit. In Sæcul. XV.
A. C. 1478.
 hoc vitæ periculo non leve auxilium Lau-
 rentio præstitit famulus quidam, quem
 biduo ante ex carcere liberaverat; hic
 tamen ipse multis vulneribus in hoc tu-
 multu affectus ægre mortem effugit.

§. CL.

*Conjuratorum principes, & Archie-
 piscopus Pisanus e fenestris
 suspensi.*

Laurentii salus non parum Pazziorum
 factionem turbabat, maxime quod
 illa non eo, quo speraverant Conjurati,
 a populo adjuta fuisset. Eorum tamen
 nonnulli, qui se se plene victoriam, caus-
 samque obtinuisse credebant, Prætorium
 involant, eo consilio, ut omnes Magistra-
 tus, qui numero novem erant, jugulent.
 Cum vero hosce furiosos ceteri non se-
 querentur, quatuor vel quinque illi, qui
 ingressi erant, consilii inopes ac terrore
 concussi hærebant, cum Prætorii fores
 post terga eorum occlusas cernerent.
 Captis hisce Magistratus, eorumque fa-
 muli ad fenestras occurrunt, statimque in
 urbe quosdam tumultus fuisse exortos
 animadvertunt, ac paulopost ex Pazzio-
 rum factione quemdam in foro vociferari
 S s 5 audiunt:

Sæcul. XV. audiunt: *Libertas! libertas! & Populus*,
 A.C. 1478. *Populus.* Equidem inter eos conven-
 tum erat, ut audita hac voce totus po-
 pulus ad seditionem concitaretur; nihi-
 lominus nemo unus ad arma currere, aut
 alterutri parti accedere cernebatur.
 Quare Jacobus Pazzius ob adversum con-
 siliū exitum pudore suffusus, fuga sibi
 consulere cæpit. Magistratus vero in
 Palatio inclusi, cum se viribus ac nume-
 ro superiores esse intelligerent, quatuor
 illos vel quinque conjuratos, qui eos oc-
 cisuri Palatium conscenderant, corri-
 piunt, & nulla mora e fenestris suspen-
 dunt. Ferme reliqui omnes capti, debi-
 tis suppliciis fuere affecti. Hos inter
 Franciscus Salviatus Archiepiscopus Pi-
 sanus, qui & ipse cum conjuratis Præ-
 torium ingrediebatur, laqueo suspensus
 est unacum nonnullis aliis. Hæc tamen
 injuria Archiepiscopo illata summo Pon-
 tifici ansam præbuit, ut Florentinos ana-
 themati subjiceret.

*Machiav. &
 Comm. ut
 supr.*

Postmodum potissima Pazziorum pars
 variis suppliciis sublata, opes eorum di-
 reptæ, & occisorum cadavera per plateas
 tracta fuere: nec tamen propterea popu-
 lus libertatem, quam Pazzii spondebant,
 consequi intentus erat, quin imo econ-
 trario tanto studio atque obsequio Lau-
 rentium Medicæum prosequeretur, ut
 etiam & deinceps satellites ad corporis
 custo-

custodiam tribueret, multisque beneficiis Secul. XV.
 eum cumlaret. Magistratus perspecta po- A. C. 1478.
 puli in eos propensione, militibus suis om-
 nes vias obsident, eo fine, ut fugitivos
 caperent, eosque Florentiam reducerent.
 Hos inter Jacobus de Pazzis cum quodam
 Officiali, quem Pontifex sub Hieronymo
 Riario Comite nonnullis copiis
 præfecerat, unacum Francisquo itidem
 ex Pazziorum familia comprehensus est,
 ac laqueo suspensus periit, Officialis ve-
 ro capite plexus est. Alii quatuorde-
 cim aut quindecim extremo supplicio af-
 fecti, conjurationis poenas dederunt,
 præter alios quosdam famulos in urbe
 trucidatos: Julianus vero solemni pom-
 pa ad sepulturam deferebatur. Is ex
 matrimonio clandestino posthumum reli-
 quit Filium, qui postea ad Papatum eve-
 ctus Clemens VII. nuncupatus est.

§. CLI.

*Florentini Sacris interdicti, & Lau-
 rentius a Papa excommuni-
 catus.*

Sixtus Papa perceptis omnibus, quæ Flo-
 rentiæ gesta fuissent, Florentinis bel-
 lum nuntiat, urbemque interdicto subji-
 cit, tum quod jam antea ob varias inju-
 rias Sedi Apostolicæ illatas justam que-
 rendi causam summo Pontifici præbuis-
 sent,

Sæcul. XV. sent, tum quod nuperrime Pisanum Archiepiscopum indicta causa, ac absque legitima juris, iudicijque forma laquei supplicio affecissent, necnon Cardinalem S. Georgii falsa de suspitione captivum detinuisent. Laurentium vero Medicæum anathemate perculit, eo quod horum tumultuum auctor extitisset; haud obscure tamen Florentinis significari curabat Papa, si Laurentium urbe pellerent, facili negotio cives cum Pontifice in gratiam redituros. Ast Florentini omnem culpam in ipsum Papam rejiciebant, eumque ad tantum scelus in Ecclesia sub re divina perpetratum ansam dedisse criminabantur; quapropter auxilia Regis Galliarum, Venetorum, & Ducis Mediolanensis implorant, cætum Antistitum Etruscorum convocant, necnon a Pontifice ad proximum totius Ecclesiæ Concilium appellant, literisque suis, ac legationibus universos Principes Christianos adversus summum Pontificem commovere moliantur. Interea vero suæ conditionis Sacerdotes ad rem divinam peragendam, & obeunda ministerii sui munia spreto Pontificis interdicto adigunt. Nihilominus ne gravius Papam in se concitarent, Cardinalem S. Georgii, quem conjurationis contra Mediceos constat culpa penitus carere, satis compertum habebant, liberum dimittunt, Romamque redire concedunt.

§. CLII.

§. CLII.

Sæcul. XV.
A.C. 1478.*Florentini a Venetis clam adjuvi.*

Quamvis Veneti se ex foedere ad auxilia Florentinis mittenda adstringi negassent, eoquod, inquiebant ipsi, bellum hoc non publice, sed duntaxat privatim contra Laurentium gereretur, nihilominus aliis mediis clam Florentinis adesse non desistebant. Ludovicus autem Galliarum Rex, cujus opem Florentini ob pacta cum Regibus ejus Prædecessoribus erecta implorabant, negati subsidii causam in bellum Belgicum, quo implicitus esset, referebat, nec alia via eos adjuvabat, quam quod ad illos omnium cunctatione remota Philippum Comminæum mitteret, dato negotio, ut Sabaudiam ac Mediolanum pertransiret, ibidemque tam a Duce, quam a Ducissa subsidiarias peteret copias, nec non sua prudentia atque auctoritate pacem revocaret, animosque dissidentium reconciliaret. Valuit successus; quippe Dux Mediolanensis trecentos cataphractos Florentiam misit, totidemque Sabaudicæ Ducissa, ut autumant alii, quamvis de eo nihil Comminæus referat. Ludovicus his copiis, aliisque posthac submissis, auxiliantibus quoque Mantuæ & Ferrariæ Principibus, aliquamdiu Florentinos tuebatur.

§. CLIII.

*Commin. l. 6.
c. 5*

SEcul. XV.
A. C. 1478.

§. CLIII.

*Ludovici Regis artes ad terrendum
Papam adinventæ.*

Gaguin. hist. Franc. lib 8. Paul. Emil. in Ludov. XI Attamen Rex probe noverat, quod Florentinos, quamvis vel maxime vellet, diu tamen armis tueri non posset, cum ipsemet copiis suis indigeret ad propellendum Archiducem, qui ex Germania validum exercitum evocabat, atque emenso induciarum tempore mox Regi bellum illaturus esset; hinc alias excogitabat artes, quibus Pontifici terrorem incuteret. Ergo Aureliæ tam Cleri quam regni sui Procerum comitia indicit, in quibus Sanctio pragmatica restitueretur, atque Annatæ denuo abrogarentur. Hic conventus a Dupino Concilium Aurelianense nuncupatur, quod ipse perperam ad Annum millesimum quadringentesimum septuagesimum septimum ante Pazziorum & Mediceorum diffidia revocat. Post hæc Ludovicus per suos Legatos apud Sixtum Pontificem agere cæpit, ut Florentina civitas interdicto solveretur, & conjurationis complices punirentur, aut saltem Concilium Generale convocaretur. Hujus Legationis Princeps erat Guido de Arpajone Lautreci Vicecomes, & nobilis Camerarius. Huic datum est negotium, ut Regis nomine, ni Papa annue-

ret,

ret, adjectis etiam minis palam declararet, quod Rex se Pontificis obedientiæ subtrahere, moxque ab illius sententia provocare velit ad Concilium, atque ad illud etiam Venetos & Mediolanensem Ducem convocaturus esset; præterea cunctis, qui beneficia ecclesiastica in Galliis habebant, præcepit, ut ad ea protinus redirent, nisi redditibus eorum privari velint.

§. CLIV.

Conventus Aurelianensis ad terrorem Pontificis celebratus.

Verum Aureliæ nil præterea in eo conventu actum est, præterquam quod aliquæ disputationes habitæ sint de integranda Pragmatica Sanctione, & de pecuniis haud amplius Romam exportandis: nec tamen ulla facta est harum rerum decisio, sed totum negotium ad alium Conventum Lugduni celebrandum remissum fuit; nunquam tamen ejusmodi concilium celebratum legimus, eo quod Rex in ejusmodi artibus satis fecundus hunc conventum eo duntaxat sine habuerit, ut Florentinorum gratiam aucuparetur, & Pontifici metum incuteret. Mense tamen Augusto editum est decretum, quo Rex graviter querebatur de severitate, qua Pontificem non sine gravi populi offensione a Florentinis poenas exegisse

sæcul. XV;
A.C. 1478.

Bochsl. in
decret. eccl.
Gallic. l. 4.
tit. 42. c. 8.

Sæcul. XV. egisse aiebat, ac insuper Papam accusabat, quod propter *expectativas* beneficiorum gratias, aliasque res, quas Rex *illita* vocabat *commercia*, Franciæ Regnum immodicis sumptibus oneraret, pluresque alios iniquos abusus introduceret. Denique severe prohibuit, nequis suorum subditorum pro beneficiis quocumque modo impetrandis Romam ire, aut pecunias eo mittere præsumeret.

§. CLV.

Cardinalis Papiensis iudicium de Legatione Regis ad Papam.

*Papiens.
epist. 677.*

Postquam Papiensis Cardinalis de Legatione, quam Galliarum Rex ad Pontificem decreverat, certior factus erat, die decima sexta Julii ad Sixtum IV. epistolam perscripsit, in qua eidem hac super re mentem suam aperuit, dixitque: *Angustiarum meo iudicio plena est responsio; si enim postulata Regis respicimus, sine mora illi minas implebunt, inque tumultum adducent Ecclesiam, & periculum est, ne in idem Regis Ludovici exemplum complures inducant: si vero illis consentimus, si nondum siccato atramento tam late vulgata decreta propter metum delemus, quid ignominiosius, & morti acerbæ similis? Plagam majorem infligere rebus Romanis Sacæditas vestra non posset, nec Apostolica virga ad*
con-

confringenda inutilia vasa suam vim posthac *Sæcul. XV.*
 obtineret. Ad sæcularem potestatem hoc *A. C. 1478.*
 exemplo esset contra censuras refugium, &
 quod languide permissemus semel, restituere
 fortiter nunquam possemus.

§. CLVI.

*Cardinalis consilium de responsis
 Legato dandis.*

Occurrebat, prosequitur Cardinalis in
 hoc ancipiti consilium medium, ut
 videlicet Oratore audito, dolere se dice-
 ret Sanctitas vestra, potuisse tantum a-
 pud Sapientem, & fidelem Regem falsa im-
 piorum crimina, ut tam longinquam Lega-
 tionem suscepit, & contra consuetudinem e-
 tiam majorum suorum Deo ingrata, & exi-
 tiosa Apostolicæ Sedi petierit, monstnan-
 dumque, quanta fuisset Florentinorum in Sa-
 cerdotes Dei crudelitas, quanta sine causa
 & sine discrimine cædes, quantus in retinen-
 do Cardinali contemptus facinoris illius ex-
 perto atque ignaro; quanto denique Apo-
 stolicæ Sedis ad hæc ulciscenda necessitas:
 paratam nihilominus futuram fuisse Beatitu-
 dinem vestram ad paternam remissionem, si
 vel mediocre signum pœnitentiæ in peccato-
 ribus cognovisset, sed descendisse illos in pro-
 fundum malorum, & in sensum reprobum
 datos, quamvis Veneti, Mediolanenses, alii-
 que complures Reipublicæ illius amici ad pe-
 Hist. Eccles. Tom. XXIX. T t ten-

Sæcul. XV. *tendam veniam eos hortati fuissent: Cum
A.C. 1478. talibus autem etsi Regii officii esset, commu-
nicationem nullam accipere, nec ad patroci-
nium tam grandis peccati accedere, tamen non
negligere Beatitudinem vestram suæ Celsiti-
dinis postulata, sicut & in hunc diem nun-
quam neglexit: videre tamen gravia illa esse,
necessarium propterea fore ad deliberationem
sumendam frequens collegium, sine quo me-
diocria, nedum maxima decerni non sole-
rent.*

Præterea Cardinalis ad Papam scripsit, hoc consilium esse non tam malum imminens sanans, quam forte dilationem aliquam præbens, & ad declinanda vel rejicienda tela inimici idoneum; sperandum, inquit Papiensis, Gallos nobis temporis memoriam ad parandam aliunde nostram salutem concessuros. Enimvero ad petendas ejusmodi inducias sat graves, atque approbatione dignissimæ rationes haud deerant Pontifici: partim quod tum ob pestem Romæ grassantem Cardinales convocari non possent, hancque ob causam ipse Papa urbem deserere coactus fuisset: locus vero, in quem secesserat Pontifex, vix privatam illius familiam caperet: partim quod universi Cardinales in diversa loca dispersi morarentur, ac ne vix quidem congregari possent, sine quorum tamen consilio Ludovici Regis postulata examinare, omnino non congrueret. Ad
calcem

calcem suæ epistolæ Cardinalis subjungit: *Sæcul. XV.*
Si huic responso Legatus Lautreci Vicecom- *A.C. 1478.*
mes acquiescet, habebit interim Sanctitas
vestra spatium ad multa cogitanda, & pro-
videnda, sin moræ impatiens non acquiescet,
nil ei jam negatum videbitur. Sui cri-
minis fiet, quicquid per impatientiam fiet,
& Sanctitas vestra juste lamentari injurias
Regias poterit, eoquod brevem, justamque
moram vestram arrogantius spreverit.

§. CLVII.

Responsum Papæ ad Legatum Lau-
treci Vicecomitem.

Equidem Papa rem ex consilio Cardi-
 nalis quodammodo gerebat, ni-
 hilominus Curix Romanæ jura vehe-
 mentioribus verbis extollebat, eaque cum
 auctoritate legitima sibi a sacris Canoni-
 bus concessa (*) confundebat: Ergo Le-
 gato

T t 2

(*) Nova sane Scriptoris Catholici doctri-
 na! Ergone summi Pontifices, a quibus San-
 ctorum Canonum auctoritas profluit, *legiti-*
mam suam auctoritatem primo ab ipsis legibus
 suis seu Canonibus emendicarunt? Ita equi-
 dem Justinus Febronius, pluresque alii sen-
 tiunt hujus ævi Scriptores, qui fidei Catholi-
 cæ ita addicti esse videri volunt, ut tamen
 Hæreticos non offendant, sed utrique parti
 pro temporum ratione deserviant.

Sæcul. XV.
A.C. 1478.

gato respondet: *Si Rex Christianissimus & amantissimus æqui & iusti, & quod magis ad rem facit, observantissimus Ecclesiasticæ libertatis, ut audivit Laurentium Medicum mediantibus complicibus suis, aliquem etiam pro parte Sedis Apostolicæ audivisset, nunquam ejusmodi legationem destinasset; Nos autem cuncta egimus freti consilio pariter & assensu Cardinalium post maturam causæ deliberationem. Scimus non consuevisse Christianissimum Regem facile se committere Judicio Dei, & pœnis, quas resistentibus judicio summi Sacerdotis, & eorum, qui præsunt loco, quem elegit Dominus. Ergo deberet potius Rex hac in re Carolum magnum, a quo ejus sanguis derivatur, imitari, & in memoriam beati Petri Apostoli honorare sanctam Romanam Ecclesiam, & Apostolicam Sedem, ut quæ Sacerdotalis Mater est dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ Magistræ rationis. Licet autem, subjungit Sixtus, Papa de judiciis suis nulli teneatur exhibere rationem, nihilominus Nos volumus Regiæ Majestati vestræ de singulis reddere rationem; atque ad hoc misimus ad suam Serenitatem Nuncium, qui eam informaret, & si quos alios Ecclesiasticos voluerit sua serenitas destinare, maxime vero postquam sacrum Collegium fuerit collectum, & nos ad urbem cessante pestilentia redierimus, parati sumus, eos rursus informare, & cum ipsis examinare singula. Sed quod Lautri-*

ci Vicescomes dicat : de justitia causæ loqui non volumus, justificationes & processus audire non curamus, tollantur censuræ, arma deponantur; alioquin petimus hæc & illa &c. Quid aliud hoc esset, nisi dicere Pontifici, quæ bene ante facta sunt, & maturo consilio Fratrum digesta & constituta, protinus sine causa revoca.

Sæcul. XV.
A.C. 1478.

§. CLVIII.

Responsum Pontificis ad articulum de convocando Concilio.

Cum autem Legatus præcipue convocationem Concilii urgeret, respondit Papa, quod si Congregatio Concilii Generalis facile posset fieri, nihil conducibilius foret summo Pontifici in præsentia causa. Non enim in Concilio Generali Reges, & Principes sæculares præsidere debent: Papa enim solus est tanquam caput universalis Ecclesiæ, qui corpore congregato præsidere habeat. Membra Concilii sunt Ecclesiarum Prælati. Horum autem quis non dicet, quod libertas Ecclesiæ conservari, & jus fori, quod neque ipse Romanus Pontifex tollere Sacerdotibus posset, illibatum permanere deberet? Dicetne aliquis horum, quod liceat Laurentio Mediceo contra Archiepiscopum turpissimæ mortis ferre sententiam? Quis non videat, quod ille debuisset servari iudicio Iudicis sui, ut degradatus, & traditus justitiæ

Sæcul. XV. *sæculari justissimam subiret sui facinoris ultionem?* A.C. 1478. *Itaque opportunissimum foret, si quo modo pro ista re facile possit Concilium congregari, doletque Papa, quod non possit, Quoniam oporteret consulere Imperatorem, & alios Reges Christianos: deinde de tempore & loco discernere; congregare Prælatos & alios, qui de jure interesse debent; & hæc quidem tempore indigent.*

§. CLIX.

Pontificis responsio ad Sanctionem pragmaticam.

Cetera Legati postulata Pontifex diluere conatus, inquit, *Quod Rex velit pragmaticam repetere, non sine admiratione audiri potest. Agitur enim hic de honore & conscientia suæ Majestatis, quoniam si pragmatica justa est, quam ob rem revocavit eam, & abnegavit cum tanta solemnitate Majestas sua? si injusta, quo honore suo potest eam reassumere?* Additque, *quod velit Regia Majestas de Viris Ecclesiasticis judicare, hoc contra dispositionem juris divini & humani est. Ad id autem, quod Ludovicus XI. Gallos Romæ commorantes in Franciam revocare minatus fuerit, reposuit Papa, Quod regia sua Majestas velit eos a Curia Papæ revocare, quam seipse velit alienari a Romano Pontifice, quantum suam Celsitudinem deceat, ipse sit Judex, firmi-*

ter tamen credimus, quod si Serenitas sua ^{saecul. XV.}
 fuisset vel mediocriter informata de rerum ^{A C 1478.}
 veritate, nihil horum suis Oratoribus com-
 misisset, quin potius eis mandasset, ut indu-
 cerent Laurentium Medicum ad recognitio-
 nem erratorum, atque ad subeundam dignam
 ipsorum ultionem. Quin etiam praeten-
 dimus, quod etsi sententiae latae a Papa con-
 tra illum injustae forent, nihilominus tene-
 retur eas observare, humiliarique, offerens se
 satisfactorum. Hujus praetensae submis-
 sionis causa, quam allegat, prorsus sin-
 gularis est; erat autem haec: Hoc si fe-
 cerit Laurentius, (*) reliqua facile compo-
 nentur,

(*) Prorsus singularis est Continuatoris im-
 pudentia, qua, ut Pontifici invidiam crearet,
 quibusdam omissis, aliis male confarcinatis ge-
 nuinum hujus epistolae sensum adulterare non
 erubuit. Nam post verba: etsi sententiae &c.
 haec leguntur: Quanto igitur amplius senten-
 tias observare debet, humiliarique offerens, se
 satisfactorum, quando constat eas esse justis-
 simas? Cor igitur illius induratum Regia sua
 Majestas emolire debet, ut dicat: Pater pec-
 cavi. Hoc si Laurentius fecerit, NB. si ju-
 stissima sententia damnatus humiliter delicti ve-
 niam petierit, & imponendam secundum Ca-
 nones poenitentiam contrito corde tulerit, re-
 liqua facile componentur. Ecce quomodo Pa-
 pa non loquatur de Hypothesi sententiae fors

Sæcul. XV. *mentur, perinde ac si prius innocentem li-*
A.C. 1478 *ceret castigare, ut postea veniæ locus*
dari queat.

§. CLX.

Legatus Franciæ de responso Ponti-
ficis parum contentus.

Orator, cui responsum hoc merito dis-
 plicuit, nomine Regis Domini sui
 summo Pontifici significabat, quod Con-
 cilium in Francia celebrandum, ac San-
 ctio pragmatica esset innovanda; simul-
 que Prælatos natione Gallos, qui Romæ
 morabantur, ad suas Dioeceses redire jus-
 sit. Pariter Gallorum exemplo Orato-
 res Veneti, Mediolanenses & Florentini
 suos Præsules Roma avocarunt, ut col-
 ligimus ex *Commonitorio*, ut vocant, Six-
 ti Papæ ad Fridericum Imperatorem, in
 quo totam rei seriem Pontifex Cæsari
 exponens, Venetos de ingrato erga se a-
 nimo inculcat, beneficia eis collata in
 memoriam revocat, ac de Regis Ludo-
 vici duritie exoptulat, ipsumque Impe-
 ratorem rogat, ut Regem datis literis ab
 ejusmodi ausibus absterret.

§. CLXI.

coram Deo injustæ, sed in thesi sententiæ JU-
STISSIMÆ. Hæccine est fidelitas in Scri-
ptore Catholico quæsitæ?

§. CLXI.

Sæcul. XV.
A.C. 1478.*Florentinorum pax cum Pontifice.*

Scripsit illico Cæsar ad Franciæ Regem, tantumque effecit, ut jamjam imminetia gravioris mali pericula cessarent. Impetravit enim Fridericus ab eodem, necnon ab Italiæ Principibus, ut suos Legatos Florentiam decernerent, qui tollendis dissidiis, & firmandæ paci operam suam impenderent. Hi ante omnia statuunt, a Florentinis Oratores ad Papam esse mittendos, qui Pontificis gratiam, pacemque exorarent. Ast hujus Reipublicæ cives pacis conditionibus a Sixto propositis acquiescere renuebant; unde adhuc bellum aliquamdiu protrahatur, donec Laurentius de Medicis Neapolim petens, ante omnia cum Ferdinando Rege, ac postea cum ipso summo Pontifice pacem iniret.

§. CLXII.

Ludovicus propriæ suæ salutis providus.

Interea plurimum deferbuit Ludovici Franciæ Regis impetus; quippe potius Pontificem terrendi animo, quam reipsa omnibus, quæ illi comminatus est, malis eum affligendi voluntate accendebatur;

T t 5

batur;

Sæcul. XV. batur; hanc ob rem Lugdunensem con-
A.C. 1478. ventum, prout tamen publicaverat, co-
 gere prætermisit. Quin etiam sibi met-
 ipsi non parum metuere cæpit, aucto-
 tissimum insidiarum timore, postquam
 tragicum Juliani Medicei exitum com-
 pererat; Quapropter, ne idem quoque
 fatum sibi aliquando immineret, veritus,
 centum Nobiles, quorum fidem atque af-
 fectum sibi sat exploratum habebat,
 pro corporis sui custodia selegit. His
Chatre Comitem de Castro præfecit; alterius
 autem validissimæ legionis, quæ ex ve-
 teranis militibus prælio exercitatissimis
 instructa erat, imperium Comminæo con-
 credidit, hosque satellites suos *Pensiona-*
rios appellare consuevit. Utriusque ag-
 minis cura erat, ut apud Regem diu
 noctuque excubaret; Præter hos unus
 ex Ephebis immote Regis latera stipare
 cogebatur, oblonga armatus hasta, qua
 sine discrimine quemcunque transfigere
 jubebatur, qui absque venia prius obten-
 ta ad Regem accedere præsumeret.

§. CLXIII.

*Filius a Maria de Burgundia in
 lucem editus.*

Oliv. March Hoc anno millesimo quadringentesimo
lib. 2. c. 9. septuagesimo octavo Maximilianus
 Austriæ Dux ex Maria de Burgundia
 con-

conjugæ suæ filium suscepit. Cum igitur hujus filii nativitate successione jura in Belgium satis firmata essent, ac præterea induciæ cum Ludovico pactæ existissent, Maximilianus Belgicas ditiones a Gallis occupatas recuperare statuit. Jam utrinque hostile odium recrudescebat, & Ludovicus Condatum urbem primus expugnat, eamque, ne denuo ab Archiduce caperetur, unacum Mortaniæ oppido incendi jubeat. *Mortagne.* Rex Angliæ pacem conciliaturus Hawartum in Gallias Legatum misit, ipse quoque Pontifex huic negotio per suum Nuntium sedulo incumberebat, nec sine prospero successu; horum enim opera in certas leges ad tempus ab armis discessum est in Belgio; necdum tamen a belli injuriis temperatum erat in Burgundia, ubi Arausionensis Princeps Gallos acerrimo bello premebat. Hic a Francia defecerat, eoquod Georgius Trimolius Cretonensis Toparcha, qui regii in hac Provincia exercitus Dux erat, contra datam fidem, Regisque mandatum, non solum Arausionensi suas ditiones reddere, illataque damna refarcire detrectasset, sed etiam data quacunque occasione eum crebris admodum molestiis affecisset: Quapropter Arausionensis Princeps in suas partes Claudium Valdretum, aliosque nonnullos Proceres pertraxit, totamque *Vaudray.*

Sæcul. XV.
 A.C. 1478.

Mortagne.

*Matth. in
 hist. Lud. XI
 lib. 9.*

Vaudray.

Sæcul. XV. tamque ferme Provinciam in Archiducis
 A.C. 1478. fidem, atque obsequium revocavit.

§. CLXIV.

*Primum Regis Franciæ fœdus
 cum Helvetiis.*

*Commin.
 lib. 6. cap. 4.
 Montguyon.*

Maximilianus postmodum haud procul
 a loco, quem Montguidonem vo-
 cant, proelium committit, sed adverso
 Marte; unde hujus victoriæ beneficio
 Galliarum Rex Ducatum quidem Bur-
 gundiæ recuperavit, nec tamen propter
 ea in Comitatu belli flammæ sedare va-
 luit. Credonensis quoque amissis omni-
 bus belli tormentis ignominose Dolensis
 urbis obsidionem solvere compellebatur,
 quare Ludovicus ira graviter commotus,
 eundem revocavit, atque in ejus locum
 Carolum de Ambasia Calvimontii Dyna-
 stam substituit, qui Helvetiorum suppe-
 titiis auctus, res deperditas restauravit,
 jecitque fundamentum ad primum fœdus
 Gallorum cum Helvetiis, vi cuius Ludo-
 vicus hujus gentis Tribubus pensionem
 viginti millium librarum, totidemque
 aliis quibusdam privatis viris in singulos
 annos solvere cogebatur, ea lege, ut Hel-
 vetii vicissim sex suorum millia certo sti-
 pendio Regi suppeditarent, ac denique
 Ludovicus primus hujus nationis fœde-
 ratus diceretur. Quamvis Helvetii po-
 stre-

fremum hunc articulum acceptare non-
 nihil tergiverarentur, eo quod hæctenus Sæcul. XV.
A.C. 1478.
 apud illos Dux Sabaudiaë locum primi
 Fœderati obtinuisset, nihilominus Calvi-
 montius tantum apud eos auctoritate va-
 luit, ut illi tandem Galliarum Regi hanc
 quoque nominis prærogativam concede-
 rent. Hujus quoque viri prudentia ac
 dexteritate plures urbes ad Ludovici ob-
 sequium rediere: quippe Dolam denuo
 hostibus eripuit, incenditque: Aussenam
 obsedit, atque ad deditionem compulit,
 ac demum a Vesuntinis multo honore ad
 urbem receptus est. His victoriis auctus,
 totam Provinciam Regi subjecit, excepto
 Jovii castro, aliisque duobus vel tribus
 oppidis, quæ in fide Ducissæ Burgundiaë
 persisterunt.

§. CLXV.

*Secundæ induciæ inter Franciæ Regem,
 & Archiducem.*

Archidux secundis hisce Gallorum co-
 natibus impellebatur, ut ad aliquot
 duntaxat menses inducias innovari pete-
 ret, quæ etiam Atrebat, ubi Maximilia-
 ni & Flandrorum Deputati convenerant,
 in Mense Julio utrinque firmatæ sunt.
 Cum interea quies aliquantulum ab armis
 esset, Ludovicus cum Philippo Bressiæ
 Comite Sabaudiaë Ducis Patruo foedus
 pepi-

Sæcul. XV. pepigit, pollicitus, se constituta duode-
A.C. 1478. cim millium librarum pensione cessurum

Comiti in Galliis ditionem quamdam,
 quæ præter Comitis titulum etiam qua-
 tuor librarum millia redderet. Interea
 Sabaudia Ducissa hoc anno e vivis ere-
 pta est, quam ob rem Ludovicus curas
 suas ad hunc quoque statum extendit, ut
 Philiberti junioris Ducis Nepotis sui re-
 bus prospiceret, ac Ducatus administra-
 tioni invigilaret, quamdiu esset in tuto-
 ris potestate præfatus Dux, Amadæi XI.
 filius, cujus obitum supra recensuimus.

Vid. supra
lib. CXIII
§. CXLVI.

§. CLXVI.

Dissidia in Archiepiscopatu Colonensi.

Krantz. 12.
Sax. 22.

Hassia Landgravius Rupertum Colo-
 niensem Archiepiscopum consentien-
 te ipsomet ejus capitulo in vincula con-
 jiciebat, eo quod pacis articulis, qui No-
 vesii post obsidionem a Burgundo tenta-
 tam sanciti erant, stare detrectasset.
 Captum etiam solido biennio tenebat, &
 quanvis Pontifex pro ejus liberatione
 sæpe, licet incassum, deprecaretur, ni-
 hilominus in vinculis vitam finire com-
 pulsus est: in hujus locum suffectum le-
 gimus Hermannum Hassia Landgravii
 fratrem, qui Novesium cum ingenti for-
 titudinis laude propugnauerat.

§. CLXVII.

Sæcul. XV.
A.C. 1478.

§. CLXVII.

Archiepiscopi Rigensis captivitas.

Pari vexatione Magnus Equitum Teu-
tonicorum Magister Silvestrum Ri-
gensem Archiepiscopum oppressit, eum-
que in arcta custodia detinuit. Hic idem
Magister nomine Henricus de Riserberg
vir erat austerus, ira præceps ac faribun-
dus; cumque dignitatis suæ auctoritate
inflatu esset, omnis admonitionis impa-
tiens erat. Equidem hujus Magistri fa-
vore ac benevolentia Sylvester ad hono-
rum gradus evehebatur, ac primum Or-
dinis Cancellarius, demum vero Archi-
episcopus Rigensis eo potissimum consilio
renuntiatus est, ut Magistro ad nutum
voluntatis suæ cæca obedientia deservi-
ret. Verum Archiepiscopus pastoralis
sui officii haud immemor gratitudini,
quam salva Religione præstare haud pot-
erat, honorem Ecclesiæ longe antepone-
bat; quapropter hac animi constantia
acrius in se Magistri concitabat invidiam,
huic ab initio nonnisi Christianæ patien-
tiæ scutum opponebat, ultimo tandem
Apostolicam severitatem adhibere com-
pellebatur. Nihilominus Magister Equi-
tum suorum auxilio suffultus Archiepi-
scopum in carcerem detrudit, quo facto
Equites spreto interdicto per totam Dice-
cesin

Secul. XV.
A. C. 1478
cesin promulgato, Ecclesiæ arces occuparunt, atque privilegiorum diplomata, aliaque instrumenta ibidem reperta publice concremarunt. Cum vero cives pro Ecclesia contra Equites insurgerent, exinde acere non minus ac diuturnum bellum exarsit, ac plurima mala exorta fuere. Referunt Historici, hunc Archiepiscopum in vinculis fame necatum fuisse.

§. CLXVIII.

Dissensiones in Germania inter quosdam Episcopos, & FF. Mendicantes.

In Germania nonnulli Religiosi Mendicantes instituti sui limites prætergredebantur, cum sibi Pastoralis ministerii munia exercendi jus, facultatemque, inconsulto loci Ordinario ac cum præjudicio Parochorum arrogarent. Eorum ausibus oblucebantur Parochi, eisque nonnulli Episcopi, quos hujus controversiæ decisio magis premebat, suam quoque operam jungebant. Pontifex compertis hisce dissidiis totum negotium quatuor Cardinalibus committebat, qui causam maturo examini subjicerent. Ergo utrinque excipiuntur dissidentium rationes, cum vero Parochorum jura extra dubium posita essent, planum erat hujus nego-

negotii iudicium, ipsisque Religiosis in-
 hibitum, ne deinceps Parochorum jura Sæcul. XV.
A.C. 1478.
 turbarent, huic quidem sententiæ illi
 protinus acquievere, nihilominus summus
 Pontifex Deputatorum decretum confir-
 mavit Constitutione die decimo septimo Extrav. com
l. 1. tit. 9. de
treuga. Et
l. 5. tit. 9. de
pœnitent. Et
remiss.
 Junii edita, qua sancitum, ne fratres men-
 dicantes prædicent, quod populi Parochiani
 non teneantur audire Missam in eorum Pa-
 rochiis diebus festivis, & Dominicis; nec
 inducant aliquo modo laicos ad eligendam
 sepulturam apud eos; cum hæc sit libera:
 desistant prædicare, quod Parochiani non sint
 obligati saltem in paschate proprio confiteri
 Sacerdoti; quia de jure tenetur Parochia-
 nus saltem in paschate proprio confiteri Sa-
 cerdoti: declarat etiam Papa, quod per
 hoc fratres mendicantes nullo pacto censean-
 tur exclusi, quo minus secundum juris com-
 munitatis, & privilegiorum eidem concessorum
 dispositionem confessiones audire, & pœni-
 tentias injungere valeant. Adhortatur Pa-
 rochos, ut viceversa aliquo modo non de-
 trahant Mendicantibus, sed illum favorem,
 quem possunt, eis impendant, & in omni-
 bus & per omnia præstent, ita ut vera uni-
 tas & perfecta charitas inter eos ostendatur.
 Denique præcipit, ut servetur antiqua ho-
 ras cantandi consuetudo. Hac Pontificis
 Bulla plene sublata erat controversia de
 communionem paschali, lisque in favorem
 Parochorum æcisa habetur; id quoque
 Hist. Eccles. Tom. XXIX. U u æqui-

Sæcul. XV. æquitati ac legibus consonum erat. Eo-
A.C. 1478. dem anno per aliam Bullam constitutum
 est, quod in posterum a gravioribus deli-
 ctis tam Ecclesiasticos quam Sæculares
 absolvendi facultas revocata sit, eoquod
*ejusmodi veniæ facilitas clavium auctorita-
 tem in contemptum adducat; & Christi fide-
 les exinde procliviores ad peccandum red-
 dantur, eisque peccandi tribuatur incentivum.*

§. CLXIX.

Inquisitio in Hispaniam introducitur.

*Marian. hist.
 Hisp. lib. 4.
 cap. 17.*

*Paul. Suave
 de origine
 inquis.*

Mariana ad hunc annum referendam
 censet primam Inquisitionis institutio-
 nem, seu verius, designationem quorum-
 dam fidei Judicum, quibus in Castellæ Re-
 gno in hæreticos & infideles inquirendi, a-
 nimadvertendique auctoritas tribuebatur.
 Cum enim plures Mauri, atque Judæi ad
 Christi fidem conversi denuo ad Ma-
 hometis atque Judæorum superstitionem
 singulis ferme diebus redirent, & insu-
 per nonnullos etiam Christianos ad suas
 sectas pertraherent, Ferdinandus & Isa-
 bella re comperta huic malo remedium
 opponere nitebantur; unde inquisitionis
 tribunal, quod ab Episcoporum jurisdic-
 tione haud dependeret, instituebant, ad
 eam prorsus normam, quæ hodie in
 tota Hispania viget. Hoc itaque judi-
 cium primo ibidem ab hisce Principibus
 stabi-

stabilitum fuit ex consilio Cardinalis Pe-
tri Gundiffalvi de Mendoza Hispalensis
Archiepiscopi, & auctoritate summi Pon-
tificis Sixti IV. firmatum. Inde vero ca-
pta Granata, aliisque Maurorum urbibus
illud in omnes hasce recens partes Regio-
nes extendebatur, atque hodiedum etiam
in Siciliae, & Sardiniae Regnis, in Indiis,
& generatim in omnibus Hispaniae Re-
gis Provinciis introductum viget, excepto
Neapolis Regno & Belgio, ubi omnes
toties repetiti instituendae Inquisitionis
conatus semper a populo ad seditionem
concitato, & nudum Inquisitionis nomen
abhorrente elusi fuere, prout evenisse le-
gimus sub Carolo V. Anno Salutis mille-
simo quingentesimo quinquagesimo, &
aliquot post annis regnante Philippo II.
Hispaniarum Rege. Haud injucundum
erit impraesentiarum paucis referre hujus
Inquisitionis originem, modumque, quo
exerceri solet in regionibus, ubi stabi-
lita est.

§. CLXX.

Historia de Origine Inquisitionis.

In primis Ecclesiae saeculis usque ad
Constantini Imperatoris conversionem
nonnisi excommunicationis poena haere-
tici coercebantur, nec aliud quam Epi-
scoporum tribunal tam ad dijudicandas
dogmatum causas, quam ad castigandos
illos,

Sæcul. XV. illos, qui pertinaciter errores de hæresi
A.C 1478. suspectos defendunt, stabilitum erat.
 Tractu autem temporis Imperatorum legibus sancitum, ut hæretici, qui Episcoporum iudicio ut tales declarati fuere, capitali sententia plecterentur. Hæc consuetudo usque ad duodecimum sæculum obtinuit: cum vero hæreses indies auferentur, ac hæreticorum potentia nimium excresceret, Ecclesia non pauca, quibus haud amplius remedii locus erat, tolerare dura necessitate compellebatur, atque hoc unicum Episcopi ac præcipue summi Pontifices reliquum habebant, ut Verbi divini Præcones, atque Legatos Apostolicos mitterent, qui hæreticos ac nominatim Albigenses Occitaniam acerbis tumultibus devastantes ad sinum Ecclesiæ reducerent, idque Innocentium III. fecisse reperimus. Anno demum millesimo ducentesimo vigesimo nono Cardinalis Romanus S. Angeli, qui Gregorii IX. Pontificis Legatus erat, Tolosæ Concilium celebravit, in quo sexdecim condidit decreta, de mediis in hæreticos inquirendi atque animadvertendi. Hæc videtur esse certa Epochæ, a qua initium inquisitionis ad leges justas instructæ petendum est, quæ tum plerumque ab Episcopis tanquam propriis doctrinæ iudicibus dependebat.

Cum

Cum vero Gregorius Papa fidei Zelo Sæcul. XV.
A.C. 1478.
accensus, Episcopus nec tanta, ut optaverat, severitate hæreticorum audaciam comprimere perspiceret, Inquisitionis tribunal tertio post anno ad solos S. Domini Religiosos devolvit: Hi, ne nimia, de qua Episcopi postulabantur, indulgentia excederent, in oppositum vitium degenerabant, ac tam rigide officii sui munia explebant, ut Comes, ac populus Tolosanus Inquisitores unacum ceteris FF. Prædicatoribus urbe expellerent, quamvis ipse Episcopus nomine Raymundus laudati Ordinis Religiosus eisdem potenti patrocínio suffragaretur. Nihilominus post aliquot annos Dominicanis Tolosam revocatis in officii societatem adjiciebatur quidam ex Ordine FF. Minorum Vir scientiæ laude clarissimus. Hic sua prudentia immoderatiois Zeli ardorem temperabat. Nec tamen sua etiam lenitate impetrare poterat, quin Inquisitionis statuta nonnullis nimium severa viderentur, nec unquam illa Gallis probabantur. Imperator tamen Fridericus II. Anno millesimo ducentesimo quadragesimo quarto receptis in fidem suam Inquisitoribus severissimam adversus Hæreticos legem condidit, qua de hæresi accusatos examinari, obstinatos ad rogam, sectam vero abjurantes ad

U u 3

per-

Sæcul. XV. perpetuos carceres per profanos Judices
 A.C. 1478. damnari præcepit.

Cum vero exiguo post tempore Imperator adversus Innocentium IV. Pontificem, a quo in concilio Lugdunensi exautoratus est, novas dissensiones haberet, ejus edictum effectui datum non est, & sub horum dissidiorum auspiciis hæresis tam ampla sumpsit incrementa, ut semper spiritualis gladii acies adversus hæresum Sectatores hebescere videretur, donec tandem Cæsar Anno Salvatoris millesimo ducentesimo quinquagesimo rebus humanis ereptus esset. Eo defuncto Innocentius Papa in Italia, ubi major auctoritatis suæ habebatur ratio, Anno supra millesimum ducentesimo quinquagesimo primo Inquisitionis tribunal erexit, illiusque administrationem Dominicanis ac FF. Minoribus concedidit, adscitis etiam Episcopis; cum hi legitimi essent iudices, qui de crimine hæresis cognoscerent. Præter hos etiam a Magistratibus nominabantur Assesores, qui in reos poenis a lege statutis animadverterent. Inquisitio hoc modo per Pontificem instructa in potissimis Italiæ regionibus invaluit, illiusque jurisdictio *Sacrum Officium* appellari consuevit; quod idem est, ac jurisdictio ecclesiastica in summi Pontificis ditionibus, necnon in Hispaniæ, & Lusitaniæ Regnis stabilita, qua

qua de hæresis, Judaismi, Mahometismi, Sæcul. XV.
 fortilegii, sodomiae, & poligamiae crimi- A.C. 1478.
 nibus inquiritur, ac cognoscitur.

§. CLXXI.

Hujus Tribunalis Judices.

Receptus in Hispania mos est, ut Rex pro cunctis suis Regnis generalem Inquisitorem nominet, qui postea a summo Pontifice confirmatus, particulares Inquisitores pro singulis locis designat. His vero absque Regis consensu ac beneplacito officii sui munia subire integrum non est. Præterea in ea urbe, ubi supremus Inquisitor seu Inquisitionis Præses sedem figit, Rex Senatum sive Consilium instituit, quod suprema in omnes Inquisitionis causas auctoritate munitum est. Hujus Senatus Ministri seliguntur Viri ceteris nobilitate ac prudentia maxime conspicui, qui *Familiaries* appellari solent. Hi id muneris habent, quod de hæresi accusatos comprehendi jubeant, tantumque auctoritatis pondus eorum mandatis ex jurisdictionis hujus terrore, & debita in judices Reverentia accrescit, ut ad sola hæc cujusdam *Familiaris* verba: *Ex mandato sanctæ Inquisitionis*, accusatus nec hiscere audeat, sed mox se capiendum tradat, imo nec vicinorum ullus ea de re conqueri præsumat; Ipse etiam Pa-

Sæcul. XV. ter Filium, & Maritus Conjugem hilce
A.C. 1478. iudicibus committunt, & si fors inde tu-
 multus oriatur, in locum accusati & fuga
 elapsi omnes, qui ad impediendam rei
 fugam opem conferre detractarunt, car-
 ceri mancipantur.

§. CLXXII.

De modo iudicandi per inquisitionem.

*Philipp.
 a Limbroc.
 hist. inquis.*

Igitur accusati seorsim in tenebrosum
 conjiciuntur carcerem, in quo per plu-
 res menses necdum habita quæstione de-
 tinentur, donec ipsimet suæ captivitatis
 causam fateantur; nunquam enim testes
 cum accusato conferuntur. Comperta
 detentione confestim omnes, quibus con-
 junctio sanguinis cum reo intercedit, pul-
 lis induti vestibus, propinquum suum ve-
 lut jamjam mortuum plangunt, & ne-
 quidem pro eo deprecari, aut carcerem
 accedere audent, veriti, ne in hæresis
 suspicionem traherentur, atque in partem
 etiam poenæ vocarentur, imo etiam
 ejus, qui captus detinetur, parentes
 quandoque ob metum, ne culpæ facili-
 credantur, ad exterarum regiones affugi-
 unt: si vero accusati causa nullis testi-
 moniis munita apparet, ipse post diutur-
 nam carceris poenam dimittitur, non sine
 bonorum suorum dispendio; eorum enim
 potissimam partem in Inquisitionis sum-
 ptus

ptus impendere compulsus erat. Adeo Sæcul. XV.
A.C. 1478.
 religiosum hujus judicii servatur silentium,
 ut capti præfixam sententiæ ferendæ
 diem nunquam exploratam habeant; hoc
 enim judicium semel duntaxat in anno
 adversus omnes accusatos ea die, quæ
 ad arbitrium Inquisitorum designatur, in-
 stituitur.

Sententia, quæ ibidem fertur, *Auto
 de Fe*, id est, fidei, seu in materia Reli-
 gionis judicium appellari solet: quampri-
 mum autem hæc sententia lata est, con-
 festim ea executioni datur. Illa vero
 publice, ac cum ingenti pompa pronun-
 tiatur, atque in Lusitania adeo amplum
 ex ligno construitur pegma, ut totum
 publici fori spatium ambiens ferme tria
 hominum millia capiat. Erigitur Altare
 sumptuose ornatum, ad cujus latera se-
 des ad amphitheatri formam dispositæ
 collocantur, quas *Familiares*, & accusati
 occupant. E regione in quodam sugge-
 stu admodum prominente Inquisitorum
 unus singulos reos successivo ordine evo-
 cat, ut illi accusationum capita, quæ pu-
 blice perleguntur, percipere valeant, de-
 mum vero damnationis sententia recita-
 tur. Capti ex suis carceribus ad pegma
 educti facile ex diversitate vestium, qui-
 bus induuntur, fati sui conditionem sibi
 præfagiunt; hi enim, qui solitam vestem
 retinent, mulcta eis indicta, absolvun-
 tur,

Sæcul. XV. tur: alii autem induti *San-Benito* id est, A.C.1478. angustiori sago flavi coloris absque manicis, affuta desuper rubra cruce S. Andreæ, vitæ gratiam obtinent, bonis tamen suis, vel saltem potiori eorum parte privantur, quæ ærario adjudicata Inquisitionis commodo, seu potius ærario regio ad solvendas Inquisitionis expensas cedunt. Hi vero, qui in suo *San-Benito* seu sago multiplices flammæ ex panno e bombicinis filis decussatim transversis contexto absque Cruce deferunt, de relapsu convicti, ac jam semel vitæ venia donati exhibentur; his poena rogi intentatur, si denuo idem crimen perpetrasse convincantur; illi autem, qui præter præfatas rubei coloris flammæ suam propriam effigiem pictis diabolis circumseptam portant, mortis judicio damnantur. His, qui Judaismum ejurare, aut suos complices integra fide detegere promittunt, impunitatis gratia etiam altera vice conceditur, tertia vero vice haud amplius veniæ locus superest.

Inquisitores, cum sacris initiati sint, sententiam mortis haud pronuntiant; acta tamen judicii instruunt, eaque accusato perlegunt, indicantque, hunc reum de tali crimine convictum, & confessum ab Inquisitione sæculari judicio tradi; iidem sententiam, quam pronuntiarunt, septem
Judi-

Judicibus, qui in sinistra Altaris parte Sæcul. XV.
A.C. 1478.
affident, consignant. Hi vero reos strangu-
lari, ac demum comburi lata senten-
tia jubent. (*)

§. CLXXIII.

(*) Hujus Tribunalis originem atque Histo-
riam Continuator facili admodum negotio hau-
rire potuisset ex purioribus fontibus, quam ex
Philippo de Limbroch Arminianensi Theologo,
ac hæterodoxo Remonstrantium Pastore, qui
suam Inquisitionis Historiam pro more cetero-
rum Novatorum innumeris consperfit fabulis,
ac mendaciis, ut videre est in probatoribus Hi-
storicis, qui de Hispanæ & Lusitanæ Inquisi-
tionis norma tractant. Quod Italicam attinet,
ipsum ego per octo omnino annos Romæ ac in
præcipuis Italiæ urbibus commoratus, haud
levem de hoc tribunali notitiam hausi, ac non
raro sententiæ latæ executiones vidi; nun-
quam tamen de ejusmodi severitatibus, atque
nugis quicquam certi, præter invidiosos juxta
ac mendaces vulgi rumores comperire poteram.
Nil magis tamen ineptum, quam quod in eos,
qui a vera fide deficiant, inquirendi, atque
animadvertendi jus, usumque ad novissima hæc
tempora revocet Limbrochus, & cum eo Con-
tinuator, cum tamen passim in sacris Paginis
tum in veteri quam novo Testamento crebra
hac de re occurrant exempla.

Sæcul. XV.
A.C. 1478.

§. CLXXIII.

*Fœdus Ferdinandi & Isabellæ cum
Anglis & Archiduce.*

*Marian.hist
Hisp. l. 24.*

Font-arabie.

Chassaigne.

*Soupplein-
ville.*

Ferdinandus & Isabella, postquam futurorum ignari hoc pacto Inquisitionem in Regno instituerant, in id unum certatim incumbabant, ut solii sui jura adversus Joannam Henrici Filiam firmerent, hancque in rem cum Eduardo Angliæ Rege, & Maximiliano Archiduce fœdus sanciebant. Eo comperto Ludovicus XI. cum eapropter valde anxio ac sollicito animo esset, inducias inivit cum Castellanis, qui eas nulla hæsitacione acceptabant, spe freti, quod Fontarabiam seu *Fontem-rapidum* urbem, cui inhiabat Ludovicus, conservare possent. Postea Rex Ferdinandum & Isabellam a fœdere cum Anglo Rege, & Archiduce inito absterrere moliebatur; ac propterea ad utrumque decernebat Legatos, Lombardiæ Episcopum, qui S. Dionysii Abbas erat, Lescunum, Joannem de Cassaigna Burdegalensis Parlamenti Præsidentem, & Guilielmum de Supplevilla, Montis Argii Prætorem. His dedit negotium, ut Catholico Regi, atque Reginæ exponerent, quod Isabella Galliarum Regibus aliquam adepti sceptri partem deberet, eoquod Galli Carolo V. Regni habenas mode-

moderante, cum Henricus de Transtamare, Sæcul. XV. A.C. 1478.
 a quo Isabella genus duceret, de Regno periclitaretur, in ejus auxilium Bertrandum Guesclinum cum numerofo milite misiffent. Postea injunxit, ut proponerent, quod Angli Castellanis, ac præcipue Transtamarenfi familiæ femper infenfi fuiffent; eo quod illi crederent, quod hæc ipfa Domus Lancaftriensibus Castellæ Regnum vi eripuiiffet. De cetero autem Maximiliano nullæ ab Imperatore fperandæ effent fuppetiæ, cum ille ægre admodum propriæ fuæ defenfioni par effet, vixque fuos fubditos femper ad feditionem proclives in officio continere poffet: Ex adverfo Ferdinando, fi Gallis fe jungeret, validum auxilium ad diffipandam Joannæ factionem præfto foret. Iisdem quoque Oratoribus Ludovicus in mandatis dedit, ut cauffam de Comitatu Rufcinonenfi & Cereitanenfi Franciæ oppignoratis arbitrorum, qui utrinque nominarentur, fententiæ relinquerent.

§. CLXXIV.

Fœdus Castellam inter & Franciam.

Nec Ludovici confilium eventus fefellit, Legatis ejus concreditam fibi provinciam integra fide exequentibus. Quare Ferdinandus & Isabella, five quod metuerent, ne forte Ludovicus sociali
 fœdere

Sæcul. XV. foedere Lusitanos sibi jungeret, sive quod
A.C. 1478. Oratorum rationibus expugnati essent,
 amicitiae pactum in oppido S. Joannis
 Luxensis ictum die nona Octobris utrin-
 que firmarunt, his legibus, ut Castellani
 omnibus hucusque foederibus etiam cum
 Eduardo & Maximiliano sancitis nunti-
 um mitterent; Galli autem Lusitaniae
 Regis, atque Joannæ Castellanae amici-
 tiam dissolverent. Præterea inter eos
 conventum est, ut lis de Ruscinonis &
 Ceretaniae Comitatu arbitris dijudicanda
 traderetur; denique mutuam sibi spon-
 derent auxilium contra quoscunque ho-
 stes, excepto Arragonum Rege, quem
 Ferdinandus & Isabella nunquam bello
 peterent, sed duntaxat operam suam im-
 penderent, ut Arragonium ab armis
 Franciæ inferendis retraherent. Hoc ipso
 etiam foedere cetera omnia antehac inter
 utrumque Regem inita rata habebantur.
 Tam optati successus fama Parisienses in-
 genti lætitia replebat.

§. CLXXV.

Creatio unius Cardinalis.

Die undecima Februarii summus Pon-
 tifex Romam, qua urbe ob pestilen-
 tiæ vehementiam excedere compulsus
 erat, reversus, quintam habuit Cardina-
 lium creationem, qua tamen nonnisi uni-
 cum

*Addit. ad
 Ciacon. in
 Sixt. IV.*

cum ad sacram purpuram promovit. *Isæcal. XV. A.C. 1478.*
 erat Dominicus de Ruvere, patria Tau-
 rinensis, ac Frater Cardinalis Tarantasi-
 ensis, qui non ita pridem e vita excessse-
 rat. Adscriptus est Dominicus titulo S.
 Vitalis, postea ad S. Clementis Ecclesi-
 am transferebatur.

§. CLXXVI.

*Bosniensis Reginae obitus; illius Re-
 gnum Sedi Apostolicæ testamento
 relictum.*

Hoc anno post Christum natum mille-
 simo quadringentesimo septuagesimo
 octavo Bosniæ Regina Thomæ Regis
 conjux, quæ Anno millesimo quadrin-
 gentesimo septuagesimo quinto ob An-
 num sacrum Romam venerat, ibidem
 rebus humanis erepta est. Hujus me-
 moriæ Sixtus Pontifex monumentum e-
 rigi curavit, quod hodie in Ecclesia
 Aræ Cæli visitur. Illa Romanam Eccle-
 siam Regni sui hæredem testamento scri-
 psit, addita conditione, *ut si filius ejus*
ex Turcis rediret, defectionis antea dæ eum
pæniteret, & Christianam fidem resumeret,
in avitam illius possessionem restitueretur.
 Regina fatis functa, duo illius familiares
 testamenti tabulas Pontifici obtulerunt,
 qui eas perlegit, ac unacum conditione
 apposita acceptavit. Posthæc iidem in
 Lega-

*Papiens.
 epist. 679.
 Chalcond.
 hist. Turc.
 lib. 10.
 Leunclav.
 Pandect.
 141. & 162.*

Sæcul. XV. Legati pii fidem Regni ensem, & calcaria porrigebant, quibus benigne acceptis Pontifex ipsum testamentum, & acceptati Regni literas in Archivis Apostolicis condi imperavit. Hoc Regnum ab Anno millesimo trecentesimo quinquagesimo septimo usque ad Annum Domini millesimum quadringentesimum sexagesimum quintum semper propriis suis Regibus parebat.

§. CLXXVII.

Usumcassani Persarum Regis extrema.

*Palmer. in
Chronic.*

Eodem anno Usumcassanus Persarum Rex animam egit, annos natus septuaginta octo. Successorem reliquit Jacuppam natu minimum ejus Filium cognomento *Chiorzeinal*, hoc est monoculum, seu unius oculi luce privatum. Juvenis iste Princeps, ut Regiminis socium amoveret, fratrem natu majorem eadem nocte, qua Pater ejus e vita migravit, interfecit. Ita Historicorum nonnulli referunt, aliorum tamen fide discimus, quod Usumcassanus quatuor superstites reliquerit filios, unum de prima, tres de secunda uxore progenitos, eaque ipsa nocte, qua illorum Patèr deceffit, eorum natu majorem tres illi fratres uterini strangulari; secundus vero ex his tribus sibi proximum pariter trucidari jusserit. Hic autem

autem, cum Regnum septem circiter an-
 nis haud vulgari moderationis suæ lau-
 de tenuisset, veneno a conjuge sua val-
 de impudica extinctus est, quæ tamen
 & ipsa paulo post eodem mortis genere
 sublata obiit. Post Usuncassanum alii,
 atque alii exiguæ æstimationis Prin-
 cipes regnabant in Perside usque ad
 nominatissimum illum Ismaelem Sofum,
 de quo dicitur suo loco.

Sæcul. XV.

A.C. 1478.

§. CLXXVIII.

*Henrici Harphii, & Laurentii Calcanei
 obitus.*

Hunc quoque annum sibi funestum ha-
 buit Henricus Harphius Belga ex
 Ordine FF. Minorum de Observantia Me-
 chliniæ fatis functus. Eminebat in Theo-
 logiæ Mysticæ studio, de quo argumen-
 to tres elucubravit libros, primum sub
 titulo *Epithalamii*, alterum *Directorium
 aureum contemplativorum*, tertium denique
*Edem seu terrestrem contemplantium
 paradisum* nuncupabat. Hoc opus pri-
 mo Colonienfis Anno millesimo quin-
 gentesimo trigesimo octavo, postmodum
 Romanis literis jussu summi Pontificis
 Anno millesimo quingentesimo octogesi-
 mo quinto excusum fuit. Alia adhuc
Hist. Eccles. Tom. XXIX. X x in-

Sæcul. XV. ingenii sui monumenta Auctor ille posteritati reliquit, inter quæ præcipua sunt: **A.C. 1478.** Speculum aureum de decem præceptis Decalogi; speculum perfectionis; Collationes tres de perfectione vitæ, seu compendium directorii; sermones cum oratione de tribus partibus poenitentiae; discursus de triplici adventu Christi Domini. Omnes hi tractatus ab Auctore sermone Belgico conscripti demum latine redditi sunt.

Circa idem ferme tempus debitum naturæ solvit Calcaneus de Brescia in Italia, Eques, ac jurium Doctor, qui ad posteros transmisit opus de studiorum commendatione, atque aliud de Conceptione B. V. ac denique tractatum de peccatis mortalibus.

§. CLXXIX.

Joannes Mercurius celebris Philosophus.

Guyon. var. lect. lib. 4. c. 22. Trith. in Chronic. Spanh. **L**ugdunum hoc anno salutabat nominatissimus Joannes Mercurius, qui scientia atque eruditione omnes antiquos Hebræos, Græcos atque Latinos Doctores sua ipsius opinione longe antecelluit. Ejus adventum in Galliis Spondanus perperam ad Ludovici XII. tempora rejicit.

jicit. Hic Philosophus Francisci itineris socios habuit conjugem, suosque liberos, & lineis indutus, e colo pendentem ferream gestabat catenam, ut Apollonium Thyanæum, cujus discipulum se nominabat, imitaretur. Admirabili vitæ gravitate præstabat, non solum Philosophiam professus, sed etiam artem medicam, qua morbi sensum ac quodvis demum malum proscribere se expertum jactitabat, unde ingentem sibi existimationem conciliabat, eo maxime, quod nonnunquam ipsius medicamenti optata successisset ægrorum sanitas. Demum artis suæ fama etiam ad aures Ludovici delata est, unde a celebrioribus Regni Medicis jussu Regis examini Lugduni subicitur, ubi nil turbatus mira adeo soliditate cuncta sibi proposita explanabat, ut Medici hujus Viri scientiam magis divinitus datam, quam humano labore aquisitam testarentur, ac ipsemet Rex concepto eum visendi desiderio, etiam cum illo in colloquium venerit, ubi Joannes regis suæ Majestati duplex offerebat munus, nempe ensen pretiosissime elaboratum, qui octoginta minores gladios seu cultellos raro artis ingenio complectebatur; & clypeum ornatum speculo, quod pluribus arcanis virtutibus foecundum deprædicabat. Adeo a quæstus cupiditate alienus

Sæcul. XV.
A.C. 1478.

Sæcul. XV. nus erat, ut omne aurum a Rege sibi
 A C. 1478. datum in pauperes distribueret. Nonni-
 si quorundam mensium moram Lugdu-
 ni trahens, de repente ac nemine saluta-
 to disparuit, nulla fati sui notitia amplius
 habita. Trithemius rem hanc ad an-
 num millesimum quingentesimum pri-
 mum revocat. Hic vero Philosophus
 impostor fuisse credebatur, eo potissimum
 nomine, quod se lapidem Philosophicum
 tenere, ac metalla convertendi scientiam
 possidere jactitasset.

§. CLXXX.

*Frustraneus Eduardi conatus Riche-
 mundium Comitem capiendi.*

*Bacon. hist.
 Henr. VII.*

Quamvis Rex Angliæ solium suum cæ-
 de suorum Competitorum satis fir-
 maffe crederetur, nihilominus illius ani-
 mum vita Comitis Richemundii in Bri-
 tanniam profugi continuis curis agitabat,
 eoquod ipse solus ex Lancastriensium pro-
 sapia superstes esset, eoque nomine ad
 regni coronam jus, titulumque haberet.
 Ergo Eduardus fraudibus rem aggress-
 surus, ad Britanniae Ducem Legatos de-
 cernit, qui significarent, se Filiam suam
 Richemundio in thori sociam offerre, ut
 hoc foedere utraque Eboracensium &
 Lancastriensium Familia perpetuo affini-
 tatis

tatis vinculo conjungeretur. Landa-
 sius auro corruptus Britanniae Ducem
 aliunde Eduardi sponcione deceptum in-
 duxit, ut propositis nuptiis assensum præ-
 beret, quamvis Richemundius Comes
 multis omnino rationibus eidem osten-
 deret, quod ab Eduardo haud alio ex
 fine ad ejus regnum alliceretur, quam ut
 furoris sui victima esset. Verum adeo
 non prævaluit Richemundii ratio, ut e-
 tiam invitus ex arce abstraheretur, atque
 ad portum Macloviensem deduceretur.
 Cum vero Comes jam navim, qua in An-
 gliam veheretur, conscendere pararet, de-
 repente ad Ecclesiam Cathedralē, quæ
 in ea urbe securitatem, libertatemque
 inviolata Religione, sacroque jure con-
 cedebat, confugit. Quantocius Angli
 præfatæ Ecclesiæ Decanum & Canoni-
 cos sollicitant, ut eis Comitem traderent,
 ac invitum ex suo perfugii loco extrahi
 permetterent. Joannes Kenletus, qui Nan-
 netibus aberat, quando Comes inde dis-
 cesserat, confestim Britannum accedit,
 ac Ducis Senatoribus jam non per am-
 bages rei indignitatem exprobrat, ipsum-
 que Britannum urget, ut ad portum S.
 Maclovii nuntium mitteret, qui sine om-
 nis moræ dispendio Comitem ad eandem
 arcem, ex qua extractus erat, reduceret.
 Datum acceptumque est negotium, unde

Sæcul. XV.
 A. C. 1478.

Secul. XV. Angli de præda sibi erepta maxime con-
A C. 1478. questi, factis velis in Angliam re infecta
 revehebantur.

§. CLXXXI.

*Clarentiæ Dux ab Eduardo fra-
 tre suo e medio sub-
 latus.*

Edwardus spe sua delusus, adeo vehe-
 menti ira commotus est, ut extra
 modum in suos quoque suspiciosus, in
 Clarentiæ Ducem proprium suum fra-
 trem hanc ferret sententiam: vivus dis-
 cisso ventre exenteratus intestina sua
 in ignem conjici, conspiceret, & demum
 capite truncaretur. Id tamen adeo
 sævum supplicium ejus Mater fletibus
 ac precibus suis avertit. Data tamen
 est Duci quoddam mortis genus eligen-
 di libertas; ipse vero optavit in dolium
 vini Cretici, quod *malvaticum* vocant, capi-
 te demergi, ibique suffocari maluit. Singu-
 lare prorsus supplicii genus, proprio ta-
 men ejus voto congruum. Equidem in
 dolio, ut petierat, suffocabatur, nihilo-
 minus eidem caput obtruncatum, cor-
 pus vero Londini in Ecclesia Carmeli-
 tarum, in monumento uxoris suæ an-
 tea defunctæ depositum est.

*Duchefne
 hist. Angl.*

l. 19.

Bacon hist.

Henr. VII.

Polyd. Virg.

l. 24.

Funesta

Funesta hæc Clarentiæ Ducis mors **Sæcul. XV.**
 Eduardo funesta accidit; præterquam **A. C. 1478.**

enim, quod proxime & ipse, e vivis ere-
 ptus fuisset, referunt Auctores, quod ab
 illo temporis articulo, quotiescunque
 pro cujusdam ad extremum supplicium
 damnati vita exoraretur, Eduardus
 confestim data vitæ gratia solitus esset
 cum profundo suspirio exclamare. *O*
infelicem fratrem meum, pro cujus salute
nemo rogavit. Hæc sola fuit tanti deli-
 cti poenitentia; id vero amplius in hoc
 Rege mirum videtur, quod quamvis tam
 vehementi suspicionum æstu agitaretur,
 ut temere proprium fratrem neci daret,
 nihilominus nullam omnino de Gloce-
 striensi Duce fratre suo secundo genito
 alias vaferrimo sui ævi Principe suspi-
 cionem conceperit, qui tamen postea E-
 duardi filiis sceptrum iniquissime eri-
 puit. Non desunt, qui Clarentiæ Du-
 cem sibi clandestinis suis consiliis, atque
 calumniis Angliæ Regis invidiam accer-
 sisse opinantur, ac propterea Eduar-
 dum hujus mortem decrevisse, quem re-
 gnum affectare suspicabatur. Nec fors
 temere conjicimus, Regis odium in Du-
 cem ex foedere cum Varvicensi Comite
 adversus Eduardum pacto ortum tra-
 xisse.

Sæcul. XV.
A.C. 1478.

§. CLXXXII.

*Tumultus in Scotia a Jacobo III.
Rege suscitati.*

*Buchanan.
hist. Scot.
lib. 12.*

Ingentibus quoque tumultibus Scotiæ Regnum agitabatur ob nimiam Jacobi III. Regis credulitatem, qua Astrologorum vaticiniis, & Majorum deliriis nequiter fidem adhibebat. Equidem Rex maximæ spei juvenis erat; cum vero temere fidem adjungeret cuidam Medico nomine Andrææ, qui se Astro- rum scientia imbutum jactitabat, Re- gique prædicebat, quod a suis consan- guineis Regno privandus esset, hoc præ- fagio deceptus in immanem Tyrannum degenerabat, ac proprios fratres suos, ce- terosque sibi sanguine junctos, necnon nobilissimos quosque Regni sui Proceres morti tradere decernebat. Ambo ejus fratres Alexander & Joannes, ut ejus- modi malis opportunum opponerent remedium, sese Regni Baronibus adjun- xerunt. Cum autem Joannes natu mi- nor de Regni statu cum Rege vehemen- tius expoſtularet, quantocius Consiliiarii, quamvis omnes infimæ fortis homines essent, juvenem hunc Principem ca- piunt, ac capitis poena damnant, lata
in

in eum sententia, ut rescissis venis ino- Sæcul. XV.
 reretur, quod etiam executioni datum A.C. 1478.
 est. Pariter Alexander in arcem Edim-
 burgensem abstractus includebatur, in-
 de vero clam aufugit, atque in Gallias
 pervenit, ubi non solum a Ludovico
 Rege perbenigne excipiebatur, sed e-
 tiam ejusdem jussu Bononiensis Co-
 mitis filiam in uxorem obtinebat. Cum
 autem auxilia a Gallis contra fratrem
 suum impetrare haud posset, eoquod
 inter utrumque Regem foedus sanc-
 tum fuisset, hinc e Francia in An-
 gliam trajecit.

§. CLXXXIII.

*Rex Scotiae a Proceribus captus,
 atque in carcerem con-
 jectus.*

Cum interea Alexander in Anglia a-
 geret, Arcimbaldus Duglassii Co-
 mes, pluresque alii Proceres adversus
 Jacobum Scotiae Regem conjurationem
 conslabant, eosque, quos a Consiliis ha-
 bebat, in ipso Regis cubiculo captos su-
 spendio multabant; ipsum vero Jaco-
 bum Edimburgi in carcerem detrude-
 bant. Hæc dum in Scotia agebantur,
 Alexander ductore Richardo Glocestrien-
 si

INDEX

X x 5

fi

Secl. XV. si Comite cum Anglorum exercitu ad-
A.C.1478. venit, fratremque suum e custodia e-
 ripuit, eidemque ultro liberam Regni
 administrationem cessit. Cum vero tra-
 ctu temporis novi in Regno tumultus
 fuissent exorti, jam altera vice in An-
 gliam secedere compulsus
 est.

FINIS TOMI XXIX.



INDEX